Kühnöl

CHRISTIANI THEOPHILI KVINOEL
PROF. LIPS.

OBSERVATIONES
AD
NOVVM TESTAMENTVM
EX
LIBRIS APOCRYPHIS
V. T.

LIPSIAE
APVD IOHANNEM THEOPHIL. FEINDIVM.
CIↃIↃCCXCIIII.



PRAEFATIO.

Libros Veteris Teſtamenti apocryphos ad ſcriptorum ſacrorum qui Chriſti aetate floruerunt, accuratam intelligentiam, ſobriamque interpretationem, quam plurimum conferre; adeoque libros illos curioſe et diligenter lectitandos eſſe, noſtra aetate intelligentiſſimus quiſque concedit. Cognoſcitur enim ex illis ipſis libris omnis fere ſentiendi et cogitandi ratio, Iudaeis poſt exilii tempora ſolennis ac propria, et cum auctorum librorum apocryphorum ſcribendi ratio proxime accedat ad ſcri-

bendi genus, quo Noui Teſtamenti ſcriptores vſi ſunt, poteſt quoque ope illorum librorum recte intelligi accurateque conſtitui vis ac poteſtas plurium verborum formularumque dicendi, quae in Noui Teſtamenti libris leguntur. Tanta igitur et tam inſignis vtilitas cum poſſit percipi ex libris apocryphis; haud pauci quoque, noſtra inprimis aetate extiteruut, qui in his libris vertendis, illuſtrandis, et conferendis cum Noui Teſtamenti ſcriptis diligenter ac ſtudioſe elaborarent *). Neque tamen exiſtimandum

eſt,

*) *Georg. Ioh. Henke* diſſ. de vſu librorum apocryphorum V. T. in N. T. Halae 1711. 4. editionem etiam horum librorum curauit; prodiit Halae 1711. 8. ſcripſit quoque, introductionem in libros apocryphos V. T. Halae 1718. 4. *Ioh. Chr. Biel* nouus theſaurus philologicus ſ. Lexicon in LXX et alios interpretes et ſcriptores apocryphos V. T. P. I — III. Hagae Com. 1779. 8. *Ioh. Frid. Schleuſner* Spicilegia poſt Bielium II. Lipſ. 1784. 86. 8. Sittenlehre Ieſu des Sohnes Sirach, neu überſetzt mit erläuternden und kritiſchen Anmerkungen von

I. W.

est, ab his viris, qui tam praeclare de libris apocryphis meriti sunt, omnia esse confecta et absoluta. Etenim nondum parata est critica horum librorum editio, nondum ita, vti debebant,

I. W. Linde, Lipf. 1782. Die Weisheit Iesus Sirachs Sohn, a. d. Griech. mit erlaeuternden Anmerkungen (von *And. Ioh. Onymus*), Würzburg, 1786. 8. *Sonntag*, Comment. de Iesu Siracide Eccles. non libro sed libri farragine, Rigae, 1792. 4. *Ioh. Melch. Faber*. Proll. VI. super libro Sapientiae, Onoldi 1776. 77. 4. *Ioh. Wallenius* Annotationes philol. crit. in librum qui inscribitur Σοφία Σαλμῶνος, Greifw. 1786. 4. Salomo's Vishet, oefversatt isrån Grekiskan med bifogade philologiska och kritiska Anmärkningar of *Iak Wallenius*, Greifswalde 1786. 4. *Ioh. Godf. Hasse*, Salomos Weisheit, neu übersetzt mit Anmerk. und Untersuchungen, Iena 1786. 8. Salomonische Denkwürdigkeiten und Uebersetzung des Buchs der Weisheit, mit Anmerk. von *Ioh. Frid. Kleuker*, Riga 1785. 8. *Ioh. Godfr. Hasse*, das andere Buch der Maccabäer, neu übersetzt mit Anmerk. und Untersuchungen, Iena 1786. 8. *Ben. Bendtsen*, Specimen exercitt. criticar. in V. T. libros apocryphos, Gotting. 1789. *Ioh. Godfr. Ienichen*, de petenda rerum quas libri N. T. continent, e libris

bant, cum Noui Teſtamenti libris collati ſunt. Quamquam enim *Henkius* (cuius diſſertationem infra laudauimus, e qua etiam paucas quaſdam obſeruationes in noſtrum librum transtulimus) inprimis in eo elaborauit, vt librorum Noui Teſtamenti locos ex libris Veteris Teſtamenti apocryphis illuſtraret; tamen non modo plures locos prorſus neglexit, ſed etiam obſeruationes eius maximam partem res leues et in vulgus notas

libris V. T. apocryphis illuſtratione Diſſ. praeſide *Franciſco Volkmar Reinhard*, Viteb. 1787. 4. *Ioh. Godfr. Eichhorn* über die Erzählung vom Bel und Drachen zu Babel, in ſ. Allgem. Biblioth. der bibl. Literatur, B. II. S. 189. ſqq. über die Geſchichte der Suſanna, ib. p. 1. ſqq. über das Buch Tobias, ibid. p. 410. über das Gebeth der drey Männer im Feuerofen, B. II. 2. über das zweyte Buch der Maccabäer, (von *Heinr. Eberh. Gottlo. Paulus*) ib. B. II. 2. über den apocryphiſchen Eſras, (von *Trendelenburg*) ib. B. I. 2. Antiquiorum interpretum libros omiſi, laudati reperiuntur in *Fabricii* Bibl. Gr. T. III. qui curante *Harleſio* prodiit Hamburgi 1793. 4.

notas pertractant, omninoque ita ſunt comparatae, vt parum vtilitatis ex iis in lectorem librorum ab Apoſtolis conſcriptorum redundet. Quae cum ita ſint, nos quidem faciundum putauimus, vt ſcriptores apocryphos paulo diligentius accuratiuſue quam hactenus factum erat, ad Noui Teſtamenti interpretandi ſubſidium vocaremus. In his autem ipſis noſtris obſeruationibus ſcribendis ita verſati ſumus, vt et verborum et rerum, quae in libris apocryphis occurrunt, diligenter rationem haberemus. Itaque non modo ſingularum vocum formularumque notiones perſecuti ſumus, et ex libris apocryphis illuſtrauimus, ſed etiam ritus, et mores, et inſtituta, et opiniones Iudaeorum, quae permultis in locis librorum Noui Teſtamenti vel indigitantur, vel diſerte commemorantur, ex libris illis copioſius explanaremus. Atque per hanc occaſionem vulgarem,

garem, eorum Noui Teſtamenti locorum, quos in medium protulimus, interpretationem, vel retinuimus, eamque nouis praeſidiis muniuimus, vel ab ea receſſimus, nouamque propoſuimus; hoc autem, etſi crebrius, nunquam tamen ſine iuſta et idonea ratione factum eſt. Caeterum ab omni nimia abundantia religioſe abſtinendum nobis eſſe duximus, ita tamen, vt quae ex vſu Hebraicae Latinaeque linguae, inprimiſque verſionis Alexandrinae illuſtrarentur, ea quoque adiiceremus. Faxit Deus O. M. vt hic labor noſter literarum ſacrarum ſtudioſis quam plurimum profit ad libros Noui Teſtamenti recte intelligendos, accurateque explicandos. Scrib. Lipſiae d. III. Dec. CIƆIƆCCXCIII.

IN EVANGELIVM MATTHAEI.

CAPVT I.

v. 19. Παραδειγματίσαι] δειγματίζειν vt παραδειγματίζειν in vniuerſum eſt, *monſtrare aliquid illudque in publicum producere*, et δεῖγμα non minus quam παράδειγμα dicitur de re quacunque, quae in publicum producitur; Heſychius: Δεῖγμα· ἡ ἔνδειξις. Παραδειγματίσαι· φανερῶσαι. Hinc vtrumque vocabulum, ſpeciatim adhibetur *de rerum venalium ſpeciminibus, in foro expoſitis*, v. Theophraſt. Char. Prooem. Harpocration, Suidas et Etym. M.; et ſenſu latiori, *de vnoquoque rei alicuius ſpecimine et exemplo* Liban. ep. XXXV. p. 17. τοὺς μὲν γὰρ ἄλλους ἀλλοτρίοις παραδείγμασι παιδεύομεν *alios quidem aliorum exemplis docere ſolemus*, vid. etiam *Perizon.* ad Ael. H. V. VI, 12. extr. vbi hoc ſenſu voc. δεῖγμα legitur. Deinde vero verba δειγματίζειν et παραδειγματίζειν in deteriorem partem ponuntur, de iis qui aliquem exponunt oculis omnium, *vel:* vt notetur ignominia, ludibrio exponatur, hinc: *publica ignominia aliquem afficere, ludibrio aliquem exponere*, vt idem ſit quod ἀτιμάζειν, ἐνυβρίζειν. Sic legitur δειγματίζειν Col. II, 15. vbi Chriſtus ea omnia viciſſe dicitur, quae religioni chriſtianae adverſentur; et haec notio ibi exornatur: vtpote victor triumphum egit de hoſtibus ſuis, vtpote victor triumphum agens, hoſtes in publicum produxit, et

ſic

ſic publicae ignominiae expoſuit, ἐδειγμάτισεν, quae tamen non nimis premi debent; ſic παραδειγματίζειν legitur Hebr. VI, 6. vt ſit, ignominia afficere, ludibrio habere Nah. III, 6. οἱ ό· τιθέναι εἰς παράδειγμα· *vel:* vt puniatur, hinc: *publice poena quacunque aliquem afficere*, Addit. Eſth. XIV. 11. τὸν δὲ ἀρξάμενον ἐφ᾽ ἡμᾶς, παραδειγμάτισον, *eum qui prior nos laceſſiuit, punias, ita vt ſit exemplo.* Num XXV, 4. וְהוֹקַע אוֹתָם οἱ ό· παραδειγμάτισον αὐτοὺς· Aquila ibi habet ἀνάπηξαι et Symmach. κρεμάσαι. Ergo apud noſtrum *ſenſus* verborum, μὴ θέλων αὐτὴν παραδειγματίσαι, *eſt; nolebat eam lapidibus obruendam tradere.* Quae erat poena adulterae. — Etiam Latini vocabulum *exemplum*, vt Graeci nomina δεῖγμα et παράδειγμα adhibere ſolent, *de poenis grauibus et ignominioſis*, v. c. Tacitus Ann. XII, 20. 4. *ſontes, et nouiſſima* exempla *meriti*; et *exempla in aliquem edere* eſt id. qd. *punire.* Terent. Eun. V, 6. 21. *vterque exempla in te edent.*

v. 25. καὶ οὐκ ἐγίνωσκεν αὐτὴν] *non eam cognouit* i. e. non cum ea rem habuit. Scilicet γινώσκειν eleganter dicitur de marito, rem cum vxore habente, eiuſque ſynonymum eſt καταμανθάνειν, apud Sirac. IX, 5. πάρθενον μὴ καταμάνθανε· etiam de foemina legitur Luc. I, 34. ἄνδρα οὐ γινώσκω, quod eſt Horatii Epp. II, 1. 132. *ignara mariti*, de virgine caſta et innupta. Heſychius: ἔγνω· ὡμίλησεν ἀνὴρ πρὸς γυναῖκα. Hebraei hac in re vtuntur verbo ידע Gen. IV, 1. Num. XXXI, 17. 18. Latini verbis: *cognoſcere*, Ouid. Met. IV, 594. de foemina Ouid. Epp. VI, 133.: *agnoſcere* Iuſtin. XXVII, 3. et ap. Iul. Caeſ. de b. Gall. VI, 21. legitur, *foeminae notitiam habere.* Alia exempla hanc in rem protulit *Gatackerus* Opp. p. 74.

CAPVT

CAPVT II.

v. 3. Ἡρώδης ὁ βασιλεὺς ἐταράχθη, καὶ πᾶσα Ἱεροσόλυμα μετ᾽ αὐτȣ̃] Apud auctores tam sacros quam profanos saepius *regionem* et *vrbem* pro incolis poni; ita vt iis verba sequentia accommodentur, adeoque h. l. per πᾶσα Ἱεροσόλυμα intelligendos esse omnes ciues Hierosolymitanos, hoc in promtu est. v. *Facius* ad Eurip. Orest. v. 46. *Glass*. Philol. S. p. 860. ed. *Dathii*. Verbum autem ταράσσειν, quod proprie et inprimis de iis ponitur, qui aquam mouent, eamque turbant, Aesop. fab. VII. Ezech. XXXII, 2. ἐτάρασσες ὕδωρ τοῖς ποσί σȣ vbi in textu hebraico legitur דָּלַח add. Hom. Odyss. ε, 291. Ioh. V, 4. transfertur ad animum, ita, vt ταράσσειν ponatur de iis, qui alios vllo modo perturbent, et omnem vehementiorem animi commotionem ac perturbationem indicet, nominatimque ταράσσεσθαι vsurpetur *de iis, quorum animi metu perturbantur*; vt h. l. Luc. I, 12. vbi ἐταράχθη et φόβος ἐπέπεσεν ἐπ᾽ αὐτὸν inter se permutantur, Gen. XLI, 8. respondet hebr. פָּעַם vbi Vulgatus: *pauore perterritus*. Deut. II, 25. רָגַז Gen. XL, 6. זָעַף 2 Macc. XV, 19. ȣ̓ παρέργος ἀγωνία ταρασσομένοις. Erat autem constans Iudaeorum tunc temporis viuentium opinio, Messiam appariturum, regem fore terrenum, omnesque populos suae potestati subiecturum esse; existimabant vero etiam regnum Messianum varii generis calamitates esse praegressuras; vid. nos ad 2 Thess. II, 1.; hinc facile intelligitur, quonam sensu legatur hoc loco: *Herodes et ciues Hierosolymitani omnes maximo timore sunt perculsi*. Qui ἐταράχθη vertunt, *laetitia maxima affectus est*, nodum in scirpo quaerere videntur.

v. 6. γῆ Ἰέδα] i. e. *vrbs Iudaeae.* Hoc sensu γῆ extat 1 Macc. V, 68. καὶ ἐξέκλινεν Ἰέδας εἰς Ἄζωτον γῆν ἀλλοφύλων *et contulit sese Iudas in Azotum terram* (vrbem) *Philistaeorum.* Apud nostrum γῆ Σοδόμων καὶ Γομόῤῥων c. X, 15. 24. et γῆ Γεννησαρὲτ· Confirmat hunc vsum loquendi inprimis etiam versio Alexandrina, quae vocabulum עִיר vertit γῆ Ier. XXIX, 7. XXXIV, 22. et contra אֶרֶץ per πόλις, Num. XXI, 31. Ios. II, 18. 2 Par. XXXII, 4. Etiam scriptores Graeci exteri hoc genere loquendi vtuntur; v. *Cuper.* Obss. II, 11. 221. Sic quoque Virgilius Aen. XI, 245. *Ilia tellus*, pro, vrbs Ilia.

v. 11. ἀνοίξαντες τὲς θησαυρὲς αὐτῶν] θησαυρὸς est etiam *receptaculum quoduis*, Ps. CXXXV, 7. ὁ ἐξάγων ἀνέμες ἐκ τῶν θησαυρῶν αὐτὲ *qui educit ventos de receptaculis suis*, nominatim h. l. *cista, arca*, in qua res pretiosae reponuntur, idem quod γαζοφυλάκιον 1 Macc. III, 28. siue ἀποθήκη· Hesychius: θησαυρός· εἰς ἀγαλμάτων καὶ χρημάτων ἢ ἱερῶν ἀπόθεσιν οἶκος. Alexandrini hoc vocabulo expresserunt hebraicum vocabulum אוצר Deut. XXVIII, 12. ἀνοίξαι σοι κύριος τὸν θησαυρὸν αὐτὲ τὸν ἀγαθὸν *thesaurum bonis repletum* Ezech. XXVIII, 4. ἐποίησας χρυσίον καὶ ἀργύριον ἐν τοῖς θησαυροῖς σε· Etiam apud scriptores Latinos eodem sensu legi vocem *thesaurus*, exemplis allatis e Virgilio (Georg. IV, 228.) et Liuio (XXIX, 18. add. XXXI, 12. *pecuniam Locris ex Proserpinae* thesauris *nocte quam sublatam*) comprobarunt ad h. l. L. *Bosius* et *Albertius*.

CAPVT III.

v. 7. γεννήματα ἐχιδνῶν] sunt verba Iohannis ad Pharisaeos et Sadducaeos. Γεννήματα ἐχιδνῶν

pro-

progenies viperarum h. e. homines pessimi, simulatores pessimi. Etenim vipera est h. l. imago hominis pietatem probitatemue simulantis, cuius generis homines erant Pharisaei ac Sadducaei; qui quamquam improbitati indulgebant, tamen semper in ore habebant, se esse τέκνα τȣ̃ Ἀβραάμ coll. v. 9. Sed γέννημα est omnino, *foetus*, *progenies*, *fructus*, et dicitur *tam* de animantibus, vt h. l. Sir. X, 18. γεννήμασι γυναικῶν. Hesychius: γέννημα· τὸ παιδίον· Schol. ad Aristoph. Nubb. 1289. γέννημα φαμὲν ἐπὶ θηρίȣ καὶ τόκȣ, *quam* de inanimantibus, Matth. XXVI, 29. γέννημα ἀμπέλȣ· Sap. XVI, 19. ἵνα ἀδίκȣ γῆς γεννήματα διαφθείρῃ *vt terrae iniustae foetus perderet*, 1 Macc. I, 38. γεννήματα αὐτῆς (scl. Ἱερȣσαλὴμ) *ciues Hierosolymitani* Hos. X, 12. γεννήματα δικαιοσύνης *fructus probitatis*. 1 Macc. XIV, 8. καὶ ἡ γῆ ἐδίδȣ τὰ γεννήματα αὐτῆς, *et terra suos proferebat fructus*. Sic etiam Latinorum *foetus* legitur de *terra* Ouid. Fast. I, 693. de *arboribus* Lactant. de ira Dei XIII, 7. De hoc posteriori vsu huius vocabuli cf. VV. DD. *Fischerus* Proluss. de vitiis Lexx. N. T. p. 708 sq. *Loesnerus* ad Matth. XXVI, 29. et Lamb. *Bosius* ad Thom. Mag. p. 13. —

τίς ὑπέδειξεν ὑμῖν] *quis vos docuit?* Nam ὑποδεικνύειν est h. l. idem quod διδάσκειν, vt Sir. XLVIII, 28. ἕως τȣ̃ αἰῶνος ὑπέδειξε τὰ ἐσόμενα *inde ab antiquissimis temporibus docuit futura.* Satis euidenter haec significatio confirmatur auctoritate versionis Alexandrinae. Haec enim verbum הורה Iob. VI, 24. Prov. IV, 4. vertit διδάσκειν, sed 2 Par. XV, 3. per ὑποδεικνύειν. Exod. IV, 12. idem verbum hebraicum Aquila expressit φωτίσω, sed Symmachus ὑποδείξω. Exod. XXIV, 12 Aquila: φωτίσαι, Symm. ὑποδεῖξαι, Vulg. *vt doceas eos.*

φυγεῖν ἀπὸ κ. τ. λ.] *vos effugituros esse poenas diuinas.* Est hebraica loquendi forma. Hebraei sequi iubent verba ברח et נוס particulam מִן. Sir. XXI, 2. ὡς ἀπὸ προσώπου ὄφεως, φεῦγε ἀπὸ ἁμαρτίας *tanquam anguem fuge peccatum.*

Caput IV.

v. 16. ὁ λαὸς ὁ καθήμενος κ. τ. λ.] Verto: *populus, qui otiose versabatur in tenebris, vidit lucem insignem, sane illis, qui otiose versabantur in regione maxime tenebricosa, affulsit lux.* Nimirum *tenebrae* sunt perpetua imago inscitiae, ignorantiae et inde oriundae miseriae. Ergo versari in tenebris, est, versari in ignorantia, adeoque propter hanc ignorantiam miserum esse; et cum additum sit ἐν χώρᾳ καὶ σκιᾷ θανάτου, versari in ignorantia maxima. Nam ἐν χώρᾳ καὶ σκιᾷ positum est pro ἐν χώρᾳ σκοτεινῇ et per hanc χώραν intelligitur h. l. Capernaum, regio, quam spissae tenebrae tegunt, cuius incolae versantur in ignorantia. Hae tenebrae cum tenebris tartari (θανάτου) comparantur; Iudaei enim existimabant, tartarum densissimis tenebris tegi, coll. Iob. X, 20. ergo χώρα σκοτεινὴ θανάτου est regio, quam tegunt ita tenebrae, sicut tartarum tegere solent, i. e. tenebrae maximae. Porro, φῶς frequenter adhibetur in literis sacris, de *religione vera,* quatenus ignorantiam depellit et felicitatem largitur, Ioh. V, 35. 1 Ioh. I, 7. sed non minus frequenter φῶς ita ponitur, vt sit abstractum pro concreto, vt notet *doctorem* qui doctrina sua animos hominum illustrat, ignorantiam depellit, adeoque eos felices reddit, vt adeo idem sit ac ὁ φωτίζων h. e. ὁδηγὸς, παιδευτὴς, διδάσκαλος, quibuscum vocabulis permutatur φῶς Rom. II, 19. 20. Verbo autem φωτίζειν exprimunt Alexandrini Iudd. XIII, 8. &c. verbum hebrai-

cum

cum הורה *docere.* Sic et h. l. φῶς est *doctor;* ita vt Christus ipse intelligatur. Denique κάθημαι, cuius synonymum est καθίζω, proprie notat *sedeo,* hinc *diu sedeo in aliquo loco,* inde *versor in aliquo loco, habito, commoror in aliquo loco;* Iudith V, 3. τίς ὁ λαὸς ὅτος ὁ καθήμενος ἐν τῇ ὀρεινῇ *quisnam populus qui in montana regione habitat?* Sir. XXXVII, 18. ἢ ἑπτὰ σκοποὶ ἐπὶ μετεώρε καθήμενοι *quam septem speculatores, qui versantur in speculo,* add. 1 Macc. II, 1. 29. hinc, versor in aliquo loco, ita vt otio indulgeam, ergo *otiosus sum,* sic οἱ ό· Prov. XXII, 10. verbum שבת *quiesco* expresserunt per καθίζω· 1 Macc. II, 7. vbi Mattathias: οἴμοι, ἱνατί τῦτο ἐγενήθην ἰδεῖν τὰ συντρίμματα τῦ λαῦ μυ, καὶ τὸ σύντριμμα τῆς πόλεως τῆς ἁγίας, καὶ καθίσαι ἐκεῖ — *heu mihi! cur natus sum? cum haec mihi videnda sit populi mei et ciuitatis sanctae calamitas, et otiose ibi versandum sit —.* Maxime vero insignis est locus Pindari Olymp. ά, v. 131. θανεῖν δ' οἷσιν ἀνάγκα τί κε τις ἀνώνυμον γῆρας ἐν σκότῳ καθήμενος ἕψοι μάταν, ἁπάντων καλῶν ἄμμορος, vbi Scholiastes: τὸ δὲ ἐν σκότῳ καθήμενος, ἀντὶ τῦ ἐν ἀκινησίᾳ καὶ ἀκλείᾳ καθεςώς. Itaque h. l. *populus, qui versatur otiose in tenebris,* erit, qui non remouere, depellere, tenebras h. e. ab ignorantia sese liberare studet. Caeterum etiam Latinos *sedere* dicere solere pro, *cunctari, otiosum esse,* probauit *Petr. Victorius* Lectt. Varr. L. XVI, c. 20.

v. 23. νόσον — μαλακίαν] sunt mere synonyma. Proprie quidem μαλακία est *mollities,* eique opponitur σκληρία *durities.* Deinde transfertur *tam* ad animum, cum quis fugit labores, et quaecunque sunt grauia ac molesta, ea tantum tractat, quae sunt leuia, facilia, mollia, quae animum eneruant,

vires animi frangunt, hinc μαλακία *ignauia, stupor animi,* μαλακὸς *effoeminatus; quàm* ad corpus, quod fugit molesta, grauia, v. c. aestum, frigus, quod est viribus exhaustum, hinc *languor corporis*. Quoniam vero morbi eneruare solent corpus, viribus exhaurire, factum est, vt μαλακία poneretur de *morbo quocunque*. Hesychius: μαλακία· νόσος· μαλακίζεσθαι· ἀσθενῶς διακεῖσθαι —. Alexandrini vocabulum חֳלִי *morbus* vertunt μαλακία Deut. VII, 25. Ies. XXXVIII, 9. et 2 Par. XXI, 19 legitur καὶ ἀπέθανεν ἐν μαλακίᾳ πονηρᾷ· hoc vero idem חלי redditur νόσος Deut. XXVIII, 59. καὶ νόσους πονηράς.

CAPVT V.

v. 5. κληρονομήσουσι τὴν γῆν] *consequentur possessionem terrae, ciues erunt regni Messiani, maxime felices erunt.* Κληρονομεῖν est h. l. simpliciter, *consequi, adipisci*, ita vt omnis haereditatis notio absit, quo eodem sensu Hebraei ponere solent verba נָחַל et יָרַשׁ Sir. IV, 14. κληρονομήσει δόξαν, *consequetur felicitatem,* XXII, 4. θυγάτηρ φρονίμη κληρονομήσει ἄνδρα *filia prudens accipiet maritum* add. VI, 1. XIX, 3. XX, 25. Suidas: κληρονομῶ· τὸ κατεξουσιάζω, τὸ κτῶμαι. Per γῆν proprie intelligitur Palaestina; sed Palaestinae possessio, et quidem secura ac tranquilla huius regionis possessio, vt constat e scriptis prophetarum Hebraeorum, erat imago felicitatis summae, sic et h. l. haec formula nostra depingit felicitatem summam. cf. Eph. VI, 6.

v. 6. οἱ πεινῶντες καὶ διψῶντες τὴν δικαιοσύνην] h. e. *qui doctrinae meae sunt cupidi.* Verba nimirum διψᾶν et πεινᾶν *sitire, esurire*, saepe metaphorice adhibentur, ita, vt iis *ardens* cuiuscunque

rei

rei ſtudium indicetur, vt apud Hebraeos צָמָא Pſ. XLII, 3. LXII, 2. Sir. XXIV, 23. οἱ ἐσθίοντές με (ſcl. τὴν σοφίαν) ἔτι πεινάσωσι, καὶ οἱ πίνοντές με ἔτι διψήσουσιν *qui me guſtarunt, porro eſuriunt me, et qui me biberunt, porro me ſitiunt*, diſciplinae meae alumni auide me ſectantur. Sap. XI, 14. οὐχ ὅμοια δικαίοις διψήσαντες. Interprete autem Athenaeo X, 9. p. 433. δίψος πᾶσαν ἰσχυρὰν ἐπιθυμίαν ἐμποιεῖ τὴν περὶ τῆς ἀπολαύσεως. Suidas: ἐδίψησαν· ἐπεθύμησαν. Heſychius ſ. v. δίψιον — διψᾶν γὰρ τὸ ἐπιποθεῖν. v. Euſtath. ad Hom. Odyſ. λ', p. 1701. ed. Rom. Haec eadem metaphora frequens eſt etiam Latinis: Cic. ad Q. Frat. III, 5. *nec ſitio honores, nec cupio gloriam.* Gell. XII, 2. *hominem auarum et auidum, et pecuniae ſitientem.* Cic. Tuſc. IV, 17. ſitienter (i. e. cupide) *expetens.* v. inprimis *Fiſcherus* Ind. Aeſchin. ſ. v. διψᾶν et quos ibi laudauit. Nec probare poſſum *Olearii* aliorumque, qui ſecuti Clementem Alexandrinum Strom. L. IV. p. 196. ed. Vict. (τοὺς πεινῶντας καὶ διψῶντας διὰ δικαιοσύνην μακαρίους λέγει) verba noſtra proprio ſenſu poſita ſtatuunt, et ante δικαιοσύνην ſubaudiendam cenſent praepoſitionem διά, ita vt verborum ſenſus ſit: „beati ſunt, qui malunt eſſe inopes et iuſti, quam diuites et iniuſti." Nam de perſecutionibus, et calamitatibus propter religionem Chriſti ſubeundis ac conſtanter perferendis, v. 10. ſqq. demum ſermo eſt. — Caeterum δικαιοσύνη h. l. eſt *veritas*, i. e. *vera religio*, *religio chriſtiana*; nam non modo Alexandrini Ieſ. XXXVIII, 19. XXXIX, 8. vocabulum אֱמֶת reddunt δικαιοσύνη, ſed etiam noſtro loco v. 10. et 11. ipſe Ieſus inter ſe permutauit formulas ἕνεκεν δικαιοσύνης, et ἕνεκεν ἐμοῦ. Cui quidem interpretationi inprimis fauet quoque verbum χορτάζεσθαι, cum formulae, *ſatiari*,

tiari, cibus, edere, saepe de *institutione, doctrina* dicantur. 1 Cor. IV, 8. Ioh. IV, 32. Cic. Tuscul. V, 23. *mens (Archimedis) rationibus agitandis exquirendisque* alebatur, *cum oblectatione solertiae — qui vnus suauissimus* pastus *animorum*. Id. de Fin. V, 19. *sed animi cultus ille erat ei quasi quidam humanitatis* cibus.

v. 8. ὅτι αὐτοὶ τὸν Θεὸν ὄψονται] Formula ὄπτεσθαι τὸ πρόσωπόν τινος, respondet hebraicae ראות בְּנֵי פְלוֹנִי h. e. *adire aliquem, in conspectum alicuius venire, videre aliquem, et versari cum aliquo, familiaritate alicuius vti, ministrare alicui*, Tob. XII, 19. πάσας τὰς ἡμέρας ὠπτανόμην ὑμῖν *quotidie mea consuetudine perfruiti estis*. Inprimis adhibetur de amicis et ministris regum, ita vt notet, *apparere regi* (Corn. Nep. V. Eumen. c. 1.) *ministrum esse regis* 2 Regg. XXV, 19. vbi οἱ ὁρῶντες τὸ πρόσωπον τȣ̃ βασιλέως· qui vocantur Esth. I, 14. οἱ ἐγγὺς τȣ̃ βασιλέως. cf. *Fischerus* Proluss. de Vitiis Lexx. p. 407. sqq. Iam cum populi antiqui eum existimarent inprimis felicem, qui minister et amicus regis esset; (v. 1 Reg. X, 8. vbi regina Sabaea, felices praedicat Solomonis ministros et amicos intimos, *qui semper stabant coram eo.*) cum Iudaeorum rex supremus Deus esset; hinc in libris N. T. formula ὄπτεσθαι τὸ πρόσωπον τȣ̃ Θεȣ̃ Apoc. XXII, 4. eo sensu legitur, vt omnino *maximam felicitatem* exprimat. Et sic h. l. αὐτοὶ τὸν Θεὸν ὄψονται est, *amplissima perfruentur felicitate*.

v. 11. πονηρὸν ῥῆμα] est *maledictum*, et cum additum legatur ψευδόμενοι, *criminatio falsa, calumnia*, vt adeo εἰπεῖν πονηρὸν ῥῆμα κατά τινος ψευδόμενον idem declaret, quod διαβάλλειν τινὰ *criminationes falsas contra aliquem afferre*. v. *Fischerus* V. C. Proluss. de Vit. Lexx. p. 108 sqq. Similiter Iudith

dith VIII, 8. καὶ ὀυκ ἦν ὅς ἐπήνεγκεν αὐτῇ ῥῆμα πονηρὸν *nemo erat, qui eam calumniaretur*, qui mores eius falso notaret. In versione vulgata simpliciter vertitur *et dixerint omne malum.* Scilicet sumsit interpres vocabulum ῥῆμα eo sensu, quo apud Hebraeos nonnunquam dicitur רבר, ergo pro, et dixerint omnem malam rem, simpliciter vertit: et dixerint omne malum.

v. 18. ἕως ἂν παρέλθῃ ὁ ὀυρανὸς καὶ ἡ γῆ] Nempe Iudaei, vt ex multis librorum Iudaicorum locis perspici potest, mundum nunquam interiturum esse, potius renouatum iri, existimabant; vnde patet, Christum bene potuisse h. l. comparare perpetuitatem τȣ̃ νόμȣ, cum perpetuitate coeli terraeque. Iudaeos autem hanc opinionem fouisse, colligi potest etiam ex Baruch II, 32. ὁ κατασκευάσας τὴν γῆν εἰς τὸν αἰῶνα χρόνον, *qui creauit terram, vt esset perpetua.* Ibid. I, 11. ἵνα ὦσιν αἱ ἡμέραι αὐτῶν ὡς αἱ ἡμέραι τȣ̃ ὀυρανȣ̃ ἐπὶ τῆς γῆς· vbi vita longissima, cum perpetuitate coeli comparatur. Non nego quidem formulam εἰς τὸν αἰῶνα, in se spectatam, ambiguam esse, ab hoc loco tamen haec ambiguitas aliena esse videtur, cum aliunde satis constet, Iudaeos putasse, Messiae regnum *terrenum* fore perpetuum, ergo nec terra, ex eorum opinione, interire poterat. Cf. *Critische Geschichte des Chiliasmus*, Abschn. XVI. p. 364. De reliquis verbis huius commatis nuperrime satis apposite disputavit Ven. *Storr* in diss. in libror. N. T. historicor. aliquot loca (Tubingae 1790) p. 19. sqq.

v. 42. μὴ ἀποστραφῇς] *noli auersari.* Ἀποστρέφειν est *auertere alterum*, et in Medio ἀποστρέφεσθαι *se ab aliquo auertere.* Tob. IV, 7. μὴ ἀποστρέψῃς τὸ πρόσωπόν σȣ ἀπὸ παντὸς πτωχȣ̃, *noli auertere vultum ab egeno.* Sir. IV, 5. ἀπὸ δεομένȣ

μένε μὴ ἀποςρέψῃς ὀφθαλμὸν, *noli auertere oculum a stipem rogante.* Iam quem auertimus, vel a quo nos auertimus, eum e conspectu nostro remouemus, hinc: *remouere* Sir. XXIII, 6. ἐπιθυμίαν ἀπόςρεψον ἀπ' ἐμȢ *cupiditatem prauam a me remoueas.* Cum vero remouere soleamus id, nos auertere soleamus ab eo, quod contemnimus, quod nobis inuisum, odiosum est, adeoque repudiamus, hinc: *repudiare, auersari* vt h. l. Sap. XVI. 3. καὶ τὴν ἀναγκαίαν (h. e. τῶν ἀναγκαίων) ὄρεξιν ἀποςρέφωνται. Cf. et nos ad Cydon. de contemn. morte XXI, 2. 5.

v. 47. ἀδελφȢς] h. e. *amicos;* vnde etiam h. l. in Codd. nonnullis legitur φίλȢς, quod tamen est aperte glossema. Ἀδελφὸς autem dicitur omnino is, qui cum altero, aliquo necessitudinis vinculo coniunctus est, vt apud Hebraeos אח 2 Sam. I, 26. Hinc Tob. III, 17. ἀδελφὸς ἐγγὺς non est *frater germanus,* sed *cognatus, propinquus.* Sic etiam Latini *fratres* vocant *cognatos;* v. Curtius VI, 10. 24. vbi Amyntas vocatur Alexandri *frater,* qui tamen eius patruelis erat; sic *sorores* pro patruelibus vel consanguineis; v. Perizon. Animadverss. c. III. p. 107. ss. hinc ἀδελφὸς *maritus,* Esth. XV, 9. τί ἐςιν Ἐσθήρ; ἐγὼ ὁ ἀδελφός σȢ· verba sunt regis. Hinc etiam ἀδελφὸς *amicus,* tam carus quam frater, vt h. l.

CAPVT VI.

v. 7. μὴ βαττολογήσητε] Nolumus repetere ea, quae de origine huius verbi copiose satis disputarunt *I. D. Michaelis* in Diatribe de Battologia, in syntagmate Commentatt. P. II. p. 57. sqq. *Deylingius* Obss. Sacrr. P. III. p. 267. sqq. *Casaub.* Exercitt. Antibarb. XIV, 8. *Dougtaeus* Analect. Sacr. P. II. p. 10. *Suicerus* Thes. Eccles. sub h. v. *Fullerus* Miscell.

Miscell. Sacr. L. II, c. 16. *Wetstenius* et *Wolfius* in Curis ad h. l. alii; sed accuratius tantum constituamus vim ac potestatem, quam h. l. obtinet. Eam seruator ipse indicauit, dum addidit: δοκοῦσι ὅτι ἐν τῇ πολυλογίᾳ αὐτῶν εἰσακουσθήσονται. Ergo βαττολογεῖν est, *loquacem, verbosum esse*, eandem rem pluribus verbis repetere; atque adeo idem quod πολυλογεῖν, vnde Suidas: βαττολογία· πολυλογία· — et, δευτερεῖν, quod verbum hoc sensu extat apud Sirac. VII, 14. μὴ δευτερώσῃς λόγον ἐν προσευχῇ σου· *noli in precibus tuis verbosus esse.*

v. 28. καταμάθετε τὰ κρίνα] Καταμανθάνειν non est h. l. simpliciter, *videre*, sed *cum attentione videre, diligenter contemplari, accurate considerare.* Sic Leuit. XIV, 37. εἰσελεύσεται ὁ ἱερεὺς καταμαθεῖν τὴν οἰκίαν· vbi in Hebraico est רָאָה Iob. XXXV, 5. κατάμαθε δὲ νέφη, ὡς ὑψηλὰ ἀπὸ σοῦ· in textu verbum שׁוּר legitur. Sir. IX, 8. μὴ καταμάνθανε κάλλος ἀλλότριον· ἐν κάλλει γυναικὸς πολλοὶ ἐπλανήθησαν· *noli considerare formam alienae foeminae, multos enim decepit foeminae formositas.* XXXVIII, 28. χαλκεὺς καθήμενος ἐγγὺς ἄκμονος, καὶ καταμανθάνων ἔργον σιδήρου· *faber ferrarius, sedens iuxta incudem et considerans opus ferri.*

v. 34. ἀρκετὸν τῇ ἡμέρᾳ ἡ κακία αὐτῆς] *habet haec vita nostra suas quotidianas curas, aerumnas, molestias.* Κακία est h. l. idem quod κάκωσις, notante Chrysostomo, qui explicat; κάκωσιν, ταλαιπωρίαν, idem quod τὰ κακὰ aliis in locis. Nempe κακία respondet hebraico רעה Ier. VIII, 6. οὐκ ἔστιν ἄνθρωπος ὁ μετανοῶν ἀπὸ τῆς κακίας αὐτοῦ, *nemo est, qui a sua improbitate redeat.* Sed רָעָה non tantum notat *improbitatem*, verum etiam *malum, miseriam, calamitates*, Eccles. XII, 1. vbi οἱ ό· ἕως ὅτε

μὴ

μὴ ἔλθωσιν αἱ ἡμέραι τῆς κακίας, *priusquam veniant tempora aduersa.* 1 Sam. VI, 9. πεποίηκεν ἡμῖν τὴν κακίαν τὴν μεγάλην *hanc magnam nobis calamitatem immisit*, et Ezech. VII, 5. vbi Alexandrini habent κακία. Symmachus vertit κάκωσις, h. e. calamitas coll. Ps. XVII, 21. vbi Symmach. habet ταλαιπωρία, sed οἱ ό· κάκωσις, ibique in textu hebraico extat איד. Sicuti vero κακία et κάκωσις ac ταλαιπωρία inter se permutantur, ita etiam commutari solent κακία et τὰ κακὰ h. e. *mala, aduersitates*, coll. Act. IX, 13. Sic iidem interpretes Alexandrini רעה 2 Par. VII, 22. exprimunt graeco vocabulo κακία, sed 1 Par. VII, 23. per τὰ κακά. Et hoc sensu κακία legitur quoque Sap. VII, 30. σοφίας δὲ ἐκ ἀντισχύει κακία· *sapientiam non vincit res aduersa.* 1 Macc. VII, 23. καὶ ἴδεν Ἰȣδας πᾶσαν τὴν κακίαν, *cum videret Iudas omnem miseriam* etc. add. X, 46. Pertinet huc quoque locus Tertulliani adv. Marc. L. II, c. 24. *apud Graecos interdum* malitiae *pro* vexationibus, et laesuris, *non pro* malignitatibus *ponuntur.*

Capvt VII.

v. 6. καταπατήσωσιν αὐτὲς ἐν τοῖς ποσὶν αὐτῶν] nempe οἱ χοῖροι. Verbum autem καταπατεῖν proprie notat *conculcare pedibus*, et vel nude ponitur, vt V, 13. vel additur τοῖς ποσὶ, vt h. l. Iam ea, quae conculcantur pedibus, ea contaminantur, hinc καταπατεῖν *profanare, contumeliose tractare.* Suidas πατεῖν· — ὑβρίζειν. 1 Macc. III, 45. καὶ τὸ ἁγίασμα καταπατέμενον. *templum erat profanatum*, IV, 60. μή ποτε παραγενηθέντα τὰ ἔθνη καταπατήσωσιν αὐτὰ *ne profanarent templum.* Ea porro, quae profanantur, quae contumeliose tractantur, contemnuntur, hinc καταπατεῖν *contemnere*, *repu-*

repudiare. Suidas: πατήσας· καταφρονήσας — πατεῖν· καταφρονεῖν· — Sic Iob. VI, 3. Alexandrini habent: τὰ ῥήματά μȣ ἐστι φαῦλα, sed Aquila vertit κατεπατήθησαν· Hoc sensu legitur Hebr. X, 29. et hoc *sensu* etiam nostro loco legitur καταπατεῖν de iis, qui doctrinam Christi contemnunt et repudiant.

v. 15. προσέχετε δὲ ἀπὸ τῶν ψευδοπροφητῶν] *cauete vobis a falsis doctoribus.* Formula nimirum προσέχειν ἀπό τινος eandem vim habet quam φοβεῖσθαι ἀπό τινος. Luc. XII, 4. vel φεύγειν τι. Nam Hebraei copulant particulam מִן cum verbis הִשָּׁמֵר, שָׁמוֹר et הִשְׁתַּמֵּר Deut. XXIII, 10. Ps. XVIII, 6. Ios. VI, 18. Sir. VI, 13. ἀπὸ τῶν φίλων σȣ πρόσεχε *caueas tibi a tuis amicis.* XI, 33. πρόσεχε ἀπὸ κακȣ́ργȣ *a facinoroso.* XVII, 14. προσέχετε ἀπὸ παντὸς ἀδίκȣ *a quocunque improbo.* Cf. quae disputauit hanc in rem *Fischerus* ad *Leusdenii* libell. de dialectis N. T. p. 135. Caeterum ψευδοπροφήτης idem est quod ψευδοδιδάσκαλος *doctor falsus* 2 Petr. II, 1.

CAPVT VIII.

v. 6. δεινῶς βασανιζόμενος] Verbum βασανίζεσθαι bene graecum esse, et occurrere sensu proprio et translato demonstrarunt ad h. l. *Loesnerus* et *Krebsius*, alii. Legitur hoc verbum sensu proprio 2 Macc. VII, 13. τὸν τέταρτον ὡσαύτως ἐβασάνιζον αἰκιζόμενοι, *quartum iisdem tormentis excruciabant*, sed sensu improprio v. 17. ὡς δὲ καὶ τὸ σπέρμα σȣ βασανίσει *doloribus i. e. calamitatibus afficiet.*

v. 33. ἀπήγγειλαν πάντα] scilicet τὰ συμβεβηκότα, quod appositum legitur 1 Macc. IV, 26. ἀπήγ-

ἀπήγγειλαν πάντα τὰ συμβεβηκότα annunciarunt omnia, quae euenerant.

Capvt IX.

v. 15. *μὴ δύνανται οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος πενθεῖν*] *νυμφὼν* est conclaue sponsi et sponsae, in quo est lectus coniugalis; Tob. VI, 13. *καὶ πάντας ἐν τῷ νυμφῶνι ἀπολωλότας*, *et omnes in thalamo nuptiali mortuos.* v. 16. *καὶ ἐὰν εἰσέλθῃς εἰς τὸν νυμφῶνα thalamum genialem ingressurus.* Respondet *νυμφὼν* hebraico חדר Ioel. II, 16. vbi Alex. *ἐκ τοῦ κοιτῶνος* alius vero interpres apud Montefalc. *νυμφῶνος*, cuius synonymum est חפה Ps. XVIII, 6. Dicuntur autem *υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος* ii, ad quos pertinet thalamus, qui versantur circa thalamum et quae ad eum pertinent, (nam vt hebr. בן, ita graeca *τέκνον*, *υἱός*, ita coniunguntur cum nominibus rerum, vt significent eum, ad quem illae res pertineant, vt 1 Macc. IV, 2. *υἱοὶ τῆς ἄκρας*, sunt, *arcis custodes*, cf. etiam *Fischerus* Proluss. de vitiis etc. p. 526.) h. e. sponsi socii, ei peculiariter addicti, qui etiam eum ad cubiculum deducebant, qui Ioh. III, 29. vocantur *οἱ φίλοι τοῦ νυμφίου*, quos graeci vocant *παρανυμφίους*; eiusmodi socii sponsi occurrunt Iudd. XIV, 12. sicuti et sponsa suas habebat virgines, ei peculiariter addictas Ps. XLV, 15. Sensus autem huius locutionis prouerbialis: *quamdiu* (*ἐφ᾽ ὅσον* scl. *χρόνον*, quod vocabulum etiam additur Marc. II, 19.) *amici sponsi cum eo versantur*, *non lugent* (nam *δύνασθαι* redundat, vt saepe, aliis quoque verbis iunctum v. Heinsius Exercitt. S. p. 202. 219. sqq. Verba autem *πενθεῖν* et *νηστεύειν* sunt mere synonyma; nam ieiunium erat luctus signum, 1 Macc. III, 17. IV, 47. 2 Macc. XIII, 12. Iudith VIII, 6. etc. et signum pro ipso luctu ponitur, vt adeo notio ieiunandi absit, et sim-

pliciter

pliciter νηϛεύειν notet *lugere)* h. e. quamdiu ego intersum discipulis meis, tamdiu iis non est caussa dolendi.

Capvt X.

v. 28. καὶ μὴ φοβηθῆτε κ. τ. λ.] Notum est Iudaeos lubenter loqui solitos esse sententiose, et Christum quoque eos hac in re imitatum esse, ac eiusmodi sententias, quas semper in ore haberent Iudaei, data occasione, attulisse. Huius generis sententia etiam h. l. extare videtur. Saltem eadem legitur Sap. XVI, 13 sq. σὺ γὰρ (praecessit κύριος) ζωῆς καὶ θανάτȣ ἐξȣσίαν ἔχεις, καὶ κατάγεις εἰς πύλας ᾅδȣ, καὶ ἀνάγεις· ἄνθρωπος δὲ ἀποκτείνει μὲν τῇ κακίᾳ αὐτȣ͂· ἐξελθὸν δὲ πνεῦμα ȣ̓κ ἀναϛρέφει, ȣ̓δὲ ἀναλύει ψυχὴν παραληφθεῖσαν. *Tu Deus vitae et necis summam potestatem habes: tu ad inferos ducis ac reducis. Homo quidem improbitate sua actus, interficit, sed corpus tantum, nam egressum e corpore animum, euertēre non potest, neque dissoluere spiritum a te receptum.*

Capvt XI.

v. 16. ἐν ἀγοραῖς] ἀγορὰ *platea,* v. XXIII, 7. Marc. VI, 56. XII, 38. Luc. XI, 43. οἱ ό Cantic. III, 2. hoc vocabulo expresserunt hebraicum שְׁוָקִים Tob. II, 3. ἔῤῥιπται ἐν τῇ ἀγορᾷ *iacet in platea,* 3 Esdr. II, 18. τὴν πόλιν οἰκοδομȣ͂σι τάς τε ἀγορὰς *vrbem aedificant et eius plateas*; add. 2 Macc. II, 10. et Marc. VI, 56. vbi pro ἐν ταῖς ἀγοραῖς Cod. Cantabrigiensis legit ἐν ταῖς πλατείαις· quod tamen est apertum glossema. Cf. *Fischer* Proluss. de vitiis etc. p. 284.

v. 28. κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι] *defatigati et pressi* 2 Sam. XVII, 2. αὐτὸς κοπιῶν καὶ ἐκλελυμένος.

λυμένοι. Est h. l. sermo de animo, atque adeo haec verba posita sunt per metaphoram, nam v. 29. legitur: εὑρήσετε ἀνάπαυσιν ταῖς ψυχαῖς ὑμῶν· Et defatigati quoad animum, dicuntur ii, qui animum abiiciunt, desperant; vt ergo κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι sint iidem qui Sirac. XVII, 24. ἐκλείποντες ὑπομονήν· Intelliguntur h. l. homines, qui propter difficile exercitium legum Mosaicarum variorumque praeceptorum, quae obseruanda praecipiebant ii, qui volebant esse doctores populi coll. XXIII, 4. animum abiiciebant.

v. 29. τὸν ζυγὸν] ζυγὸς *iugum*, quod commutatur cum voce φορτίον v. 30. notat h. l. *doctrinam*, *praecepta religionis christianae*. Et quod Christus nostro loco tropice dixit αἴρειν τὸν ζυγὸν, id Iohannes 1 ep. V, 3. verbis propriis expressit τηρεῖν ἐντολὰς (οὐ βαρείας). Auctor libri Sap. VI, 25. de praeceptis sapientiae scripsit: παιδεύεσθε τοῖς ῥήμασί μου. Saepius vero ζυγὸς de *praeceptis*, de *doctrina* occurrit, vt Sir. LI, 26. τὸν τράχηλον ὑμῶν ὑπόθετε ὑπὸ ζυγὸν, καὶ ἐπιδεξάσθω ἡ ψυχὴ ὑμῶν παιδείαν, ἐγγύς ἐστιν εὑρεῖν αὐτήν· *subiicite collum vestrum iugo, et accipiat animus vester institutionem, facile vos eam potestis inuenire.* Sermo est de sapientia. Sic Act. XV, 10. lex Mosaica vocatur ζυγὸς δουλείας· Suidas: ζυγός ὁ νόμος παρὰ τῇ θείᾳ γραφῇ· καὶ ὁ Χριστός· ἄρατε τὸν ζυγόν μου· — καὶ ζυγὸν τὴν τοῦ νόμου βαρύτητα φησὶν ὁ Δαβίδ. Schol. ad Eurip. Phoenn. v. 74. ζυγὸς κυρίως ἐπὶ τῶν κυβερνητῶν, ἐν ᾧ καθήμενοι τὰ ἱστία μεταχειρίζονται· καταχρηστικῶς δὲ καὶ ἐπὶ ἄλλης ἐξουσίας τοῦτο φασί. Hoc eodem sensu vsurpantur δεσμοὶ, πέδαι Sir. VI, 24. 25. καὶ εἰσένεγκαι τοὺς πόδας σου εἰς τὰς πέδας αὐτῆς, καὶ εἰς τὸν κλοιὸν αὐτῆς τὸν τράχηλόν σου· ὑπόθες τὸν ὦμόν

σου,

σȣ, καὶ βάςαξον αὐτὴν, καὶ μὴ προσοχθίσῃς τοῖς δεσμοῖς αὐτῆς· *trade pedes tuos pedicis eius, et collum tuum collari eius, subiice humeros tuos et porta eam, neque subtrahe te illius vinculis.* De sapientia. Ita adhibentur Ps. II, 3. vocabula מוֹסֵר *vinculum* et עֲבוֹת *funis*, οἱ ὁ· δεσμοὶ — ζυγός.

Capvt XII.

v. 10. εἰ ἔξεςι τοῖς σάββασι θεραπεύειν;] Nempe Iudaei illorum temporum adeo superstitiosi erant in celebrando sabbato, vt existimarent nefas esse vllum negotium illo die peragere, sanare morbum, inprimis si non esset lethalis, vlla de caussa iter illo die facere etc. Ad hanc superstitionem respexit etiam Christus Matth. XXIV, 20. *orate, ne fuga sit — die sabbati!* Neque hanc praeiudicatam opinionem novam fuisse, patet euidenter satis ex 2 Macc. II, 32 sqq.

v. 32. ȣ̓κ ἀφεθήσεται αὐτῷ ȣ̓́τε ἐν τȣ́τῳ τῷ αἰῶνι κ. τ. λ.] Verissima est sane Chrysostomi horum verborum interpretatio κατὰ λιτότητα, punietur grauiter. Neque verba ipsa sunt nimis premenda, sed sunt populariter dicta, pro vix effugiet poenas divinas grauissimas easdemque grauissimas. Etenim verba ȣ̓́τε ἐν τȣ́τῳ τῷ αἰῶνι ȣ̓́τε ἐν τῷ μέλλοντι exprimunt difficultatem veniam consequendi, siue, certitudinem poenarum. Similis locus extat 2 Macc. VI, 26. ἀλλὰ τὰς (τιμωρίας) τȣ̃ παντοκράτωρος χεῖρας, ȣ̓́τε ζῶν ȣ̓́τε ἀποθανὼν ἐκφεύξομαι· *poenas omnipotentis neque viuus neque mortuus* (i. e. neutiquam) *effugiam.*

Capvt XIII.

v. 41. πάντα τὰ σκάνδαλα] In vniuersum dicitur σκάνδαλον offensaculum quodcunque, ad quod

aliquis offendere poteſt, etiam de eo quod inſidioſe poſitum eſt, vt Iudith V, 1. καὶ ἔθηκαν ἐν τοῖς πεδίοις σκάνδαλα, *poſuerunt in campis offendicula*, ad quae nimirum hoſtes poſſent impingere. Sed inprimis ponitur de mobili tigillo in muſcipula, v. *Wetſtenius* ad Matth. V, 29. vnde ipſam quoque decipulam notat. Deinde vero ita vocatur, omne quod exitii cauſſam praebet, Sap. XIV, 11. εἰς σκάνδαλα ψυχαῖς ἀνθρώπων *et in offenſionem animorum hominum* i. e. ad eos offendendos et perdendos. H. l. eſt abſtractum pro concreto poſitum; ita vt ſignificetur is, qui exitii auctor eſt, ſeductor, nam diſerte additur καὶ τοὺς ποιοῦντας τὴν ἀνομίαν, quae verba ſunt explicantis. Ita quoque legitur XVI, 23. vbi dicitur σκάνδαλόν μου εἶ h. e. interprete *Fiſchero* Proluſſ. p. 377. *conſultor peſſimus tu es.* In verſione Alexandrina reſpondet hebr. מוֹקֵשׁ Ioſ. XXIII, 13. ἔσονται ὑμῖν εἰς παγίδας, καὶ εἰς σκάνδαλον· Et haec duo vocc. interpretes Graeci veteres inter ſe permutare ſolent, vt Prov. XIV, 29. vbi *οἱ ὁ* legunt ἐκ παγίδος θανάτου, ſed Symmach. et Theod. σκανδάλων· XXIX, 6. pro παγὶς, quod extat in verſione Alexandrina, Aquila habet πρόσκρουσις, et Symmachus σκάνδαλον.

Capvt XIV.

v. 2. τοῖς παισὶν αὐτοῦ] i. e. *miniſtris, famulis ſuis.* Sic 3 Eſdr. I, 30. rex Ioſias dicebat τοῖς παισὶ αὐτοῦ *miniſtris ſuis. Henke.* add. 1 Macc. I, 6. vbi: τοὺς παῖδας αὐτοῦ τοὺς συντρόφους αὐτοῦ· *amici, qui vna cum ipſo educati fuerant.* Sermo eſt de Alexandro. Quos Graeci nominabant φίλους Xen. Cyrop. I, 3. 9. etc. Hic nimirum vſus loquendi illuſtrandus eſt ex conſuetudine loquendi Hebraeorum. Etenim ab Hebraeis עֲבָדִים dicuntur,

non

non modo ii, qui proprie serui sunt, sed etiam homines liberi et ingenui, ministri principum, regum, ac ciuitatum orientis. Hinc interpretes Graeci veteres עֶבֶד modo vertunt παῖς 1 Sam. XVIII, 22. Ios. I, 7. 13. quo posteriori loco Symmachus habet δοῦλος, et Esth. II, 19. vbi οἱ ὁ· φίλοι. Graeci autem seruos suos nominare solebant παῖδας, vt Latini *pueros* (Horat. Carm. I, 38. 1.), quoniam primi in Graecia serui, pueri, siue adolescentes fuisse videntur. Φασὶ δὲ οἱ παλαιοὶ, παρθένων ἔργον εἶναι τὸ οἰνοχοεῖν, καὶ ἀνδρῶν νέων, ὧν καὶ τὸ ὑπηρετεῖν· ὅθεν καὶ παῖδες οἱ δοῦλοι, καὶ παιδίσκαι, διὰ τὸ τῆς παιδικῆς ἡλικίας ὑπηρετικόν· Eustathius ad Hom. Il. δ', p. 438. 26. ed. Rom.

v. 6. γενεσίων ἀγομένων] Alii interpretes statuunt, esse h. l. intelligendam *celebrationem diei natalis*; cuius sane memoriam magna cum cura celebrare et seruare studebant veteres, sicuti hoc ipsum etiam factum esse legimus ab Antiocho Epiphane, 2 Macc. VI, 7. vbi legitur: εἰς τὴν κατὰ μῆνα τοῦ βασιλέως γενέθλιον ἡμέραν, *die regis per quemque mensem natali*. Alii vero intelligendum esse h. l. praecipiunt festum, quod instituisset Herodes in memoriam eius diei, quo suscepisset imperium, ergo, *diei inaugurationis celebrationem*. Extra omnem vero dubitationem positum est, reges hunc quoque diem celebrare solitos esse, 1 Regg. I, 8. 9. XVIII, 18. Hos. VII, 5. Plin. epp. L. X, 61. Ipsi Latini quoque hoc sensu formula *dies natalis* vtuntur Dauis. ad Hirt. b. Afric. 90. Solebant etiam reges a die, quo creati erant, vt natali, annos supputare, 1 Sam. XIII, 1. vbi Saulus dicitur υἱὸς ἐνιαυτοῦ *filius vnius anni*; quatenus vnum tantum regnarat adhuc annum. Monuit etiam *Salmasius* de lingua Hellenist. p. 104. ex Phrynicho atque Thoma Magistro, secundum scriptores

bonae notae graecos, de die natali, dicendum esse, γενέθλιος ἡμέρα vel γενέθλια, non vero γενέσια. Cui tamen obseruationi obstat locus Alciphronis III. ep. 18. et 55. Laudatur etiam *Aboda Sara* f. 8. in Mischna, vbi inter festa quoque refertur יוֹם גְּנוּסְיָא שֶׁל־מְלָכִים ad quae verba in Gemara f. X, 1. notatur: quid est dies גנוסיא? respondet R. Iudas, per hunc intelligunt diem, quo constituunt regem. Sed גנוסיא est graecum γενέσια. Vtraque igitur interpretandi ratio argumentis potest defendi. Cf. inprimis quae hanc in rem disputauit *Fischerus* V. C. in Praef. ad *Leusden.* de dialectis N. T. ed. sec. p. 17. ss. Caeterum apud γενεσίων non subintelligendum esse συμποσίων, sed potius ἡμερῶν, recte ostendit ad h. l. *Krebsius;* qui non minus quam *Loesnerus* V. C. verba nostra intelligit de celebratione diei natiuitatis; sed verbum ἄγειν est verbum proprium et solenne de celebratione festi, vnde formulae ἄγειν ἑορτὴν, ἡμέραν Thucyd. VI, 6. V, 47. Xen. Cyrop. VI, 2, 3. Sic etiam 1 Esra I, 1. καὶ ἤγαγεν Ἰωσίας τὸ πάσχα, *celebrauit Iosias Pascha;* add. v. 6. 21. 2 Macc. II, 16. καλῶς οὖν ποιήσετε ἄγοντες τὰς ἡμέρας, *praeclare agetis celebrantes dies festos* scl. purificationis. v. 18. 1 Macc. VII, 48. καὶ ἤγαγον τὴν ἡμέραν ἐκείνην εὐφροσύνης μεγάλως, *magna cum laetitia celebrarunt illum diem.* 2 Macc. I, 9. καὶ νῦν ἵνα ἄγητε τὰς ἡμέρας τῆς σκηνοπηγίας τοῦ χασελεῦ μηνός· add. v. 18. 1 Macc. IV, 59. Tob. XI, 20. Ioseph. Ant. XII, 4. 7. pro ἄγειν dixit, ἑορτάζειν τὴν γενέσιον ἡμέραν, *celebrare diem natiuitatis.*

Caput XV.

v. 4. τίμα] Proprie τιμᾶν notat, aestimare, magni facere, deinde, declarare te aliquem magni facere,

facere, honorare; hoc fieri poteſt vel verbis, ita vt eum laudes, fauſta ei appreceris etc. vel factis, ita vt eius ſaluti quouis modo conſulas, inopiae eius ſuccurras, mandata eius exſequaris, eum praemiis ornes etc. H l. videtur verbum τιμᾷν accipiendum eſſe ſenſu latiori, omni modo declarare te parentes tuos colere, magni facere; vt Epheſ. VI, 2. Sir. III, 3. ὁ τιμῶν πατέρα et hoc explicatur v. 8. ἐν ἔργῳ καὶ λόγῳ τίμα τὸν πατέρα *verbis et factis declara, te parentem colere.* Hebraei hoc modo vtuntur verbo כִּבֵּר Num. XXII, 17. 37. coll. v. 7.

v. 35. ἀναπεσεῖν ἐπὶ τὴν γῆν] Verbum de iis ſolenne, qui ad menſam accumbunt; nam veteres, vt tralaticium, non ad menſam ſedebant, ſed accumbebant. Lucian. T. II. p. 590. ed. Reitz. αὐτοὶ δὲ ἀναπεσόντες ἐδείπνουν· *ipſi coenatum accumbebant.* Tob. II, 1. καὶ ἀνέπεσα τοῦ φαγεῖν: Iudith XII, 16. καὶ εἰσελθοῦσα ἀνέπεσεν Ἰουδὶθ, *poſtquam ingreſſa erat, accubuit ad menſam.*

CAPVT XVI.

v. 26. τί δώσει ἄνθρωπος ἀντάλλαγμα] pro, πόσα ἂν δώσῃ ἄνθ. quodnam homini adeo pretioſum eſt, quod non libenter vitae ſeruandae cauſſa tradat? quid homini vita pretioſius eſt? Nimirum ἀντάλλαγμα dicitur proprie *commutatio*, hebr. תְּמוּרָה Ruth. IV, 7. מְחִיר Iob. XXVIII, 15. deinde id ipſum, quo aliquid commutatur, redimitur, *pretium redemtionis*, omninoque *pretium quodcunque.* Heſychius: ἀντάλλαγμα, ἀνθόμιον. Sir. VI, 16. φίλου πιστοῦ οὐκ ἔστιν ἀντάλλαγμα, *nihil pretioſius eſt amico certo.* XXVI, 14. οὐκ ἔστιν ἀντάλλαγμα πεπαιδευμένης ψυχῆς, *foemina bene educata nihil praeſtantius.*

Caput XVII.

v. 10. ὅτι οἱ ἄγγελοι αὐτῶν κ. τ. λ.] h. e. angeli, qui horum sectatorum meae religionis (v. *Noesseltus* ad h. l. in Opusсc. Theologg. T. I. p. 1. sqq.) curam habent, *sunt ex angelorum principibus.* Nempe de formula βλέπειν τὸ πρόσωπόν τινος dictum est ad V, 8. ibique ostensum, eam, cum de rege sermo est, adhiberi, de ministris, amicis regis. Iam apud populos orientis, reges rarissime in conspectum populi prodeunt, neque cuiuis ministrorum licet quotidie regem adire, sed solis amicis ipsius, solis regni primoribus. v. *Paulsen Regierung der Morgenlaender, Th.* I, *S.* 482. sq. Iudaei sibi cogitabant Deum tanquam ipsorum regem supremum, diuidebant porro angelos in certos quosdam ordines et classes, existimabant etiam, singulis hominibus a Deo angelos custodes dari. Hinc Iudaei, ad quos h. l. verba facit Iesus, facillime poterant mentem ipsius perspicere, quae, si ornatum Iudaicum a verbis remouemus, haec est: homines pii, singulari fauore Dei perfruuntur, vtitur ad eos tuendos et seruandos etiam mediis extraordinariis; similis locus Matth. XXVI, 53. vbi Iesus ardorem Petri ita reprimit, vt dicat: si vellem, possem rogare patrem, vt mihi plus quam duodecim legiones angelorum auxilio mittat, quae erat popularis loquendi formula, pro, vario, etiam extraordinario, non cognito et vulgari modo, mihi pater auxilio suo succurrere posset. Caeterum esse formularum *stare coram Deo*, *videre faciem ipsius*, hanc vim et potestatem, vt per eas significentur, *angeli principes*, patet quoque ex Tob. XII, 15. vbi legitur: ἐγώ εἰμι Ῥαφαὴλ, εἷς ἐκ τῶν ἑπτὰ ἁγίων ἀγγέλων, οἳ προσαναφέρουσι τὰς προσευχὰς τῶν ἁγίων, καὶ εἰσπορεύονται ἐνώπιον τῆς δόξης τοῦ ἁγίου, *ego sum vnus ex septem sanctis angelis, qui*

afferunt Deo preces sanctorum, et ambulant ante maiestatis plenum et sanctum. add. Apoc. I, 4. VIII, 3. Quod autem ipsam hanc cogitandi et loquendi Iudaeorum consuetudinem attinet, equidem neutiquam nego, doctrinam eorum de angelis esse magis excultam et nouis accessionibus adornatam exilii temporibus, sed iam apud Hebraeos veteres vestigia huius doctrinae occurrunt; hi enim omnia, quorum caussae laterent, ad auctores inuisibiles, ad spiritus, quorum ministerio Deus ad sua exsequenda mandata vteretur, referre solebant. Hi auctores inuisibiles erant *mali*, quamquam non per se mali et improbi, si id, quod hominibus acciderat, infortunium erat, saltem pro eo habebatur; sic melancholia Sauli erat angelus malus, qui eum vexabat. Erant contra angeli *boni*, si id quod hominibus euenerat, eorum felicitatem ampliabat et promouebat. Cum deinde orta esset Israelitarum respublica, et Deus ipse declarasset, sese esse Israelitarum regem supremum, comparabant eum cum rege orientis, magna ministrorum caterua stipatum, quorum varii essent ordines, etiam septem amici praecipui, quoniam numerus septenarius inde ab antiquissimis temporibus sanctus erat. *Eichhornius*, Vir Illustris, *Allgem. Biblioth. der bibl. Literat.* B. 2. St. 3. notauit: hanc de septem angelis Dei praecipuis, loquendi consuetudinem Iudaeor. traxisse originem e Persia, vbi septem illae familiae, quae Darii Hystaspis temporibus regiam dignitatem ambirent, postquam Darius imperio potitus erat, perpetuum regis concilium constituebant. Videtur vtraque ratio esse coniungenda, fortasse opinio de numero angelorum *septenario* in Persia tantum confirmata est; sicuti successu temporis haec omnis doctrina est magis exornata.

CAPVT XIX.

v. 28. κρίνοντες τὰς δώδεκα φυλὰς τοῦ Ἰσραὴλ] κρίνειν est h. l. idem quod ἄρχειν *regnare, praeesse;* Artemidor. II, 12. p. 56. Ald. κρίνειν γὰρ τὸ ἄρχειν ἔλεγον οἱ παλαιοί· quem locum laudauit *Fischerus* Prolusſ. de vitt. Lexx. N. T. p. 481. sic κρίσις est *imperium* Apoc. XX, 4. κριτὴς *dux, imperator,* 1 Macc. II, 55. hinc שׁוֹפֵט est *rex,* Amos. II, 3. vbi οἱ ό· שׁופט expresserunt per κριτὴς et שׂרים per ἄρχοντες, sed Ies. XL, 23. hoc ipso vocabulo ἄρχοντες reddiderunt hebraicum שׁופטים. Iudaei autem, cum summam dignitatem et felicitatem describere volebant, imagines a dignitate, splendore et felicitate regis desumere solebant. Hinc *regnare* saepe idem est ac *felicitate frui,* vt Apoc. II, 6. δώσω αὐτῷ ἐξουσίαν ἐπὶ τῶν ἐθνῶν, h. e. *eadem mecum felicitate perfruetur.* I, 6. καὶ ἐποίησεν ἡμᾶς βασιλείαν (pro βασιλεῖς καὶ) ἱερεῖς, *nos constituit reges et sacerdotes* i. e. summam nobis dignitatem et felicitatem concessit, quoniam nimirum dignitas regis et sacerdotis tunc summo in honore erat. Ita igitur etiam hoc Matthaei loco omnino his verbis eximia felicitas indicatur; sicuti loco plane simili Sap. III, 8. κρινοῦσι ἔθνη, καὶ κρατήσουσι λαῶν, καὶ βασιλεύσει αὐτῶν κύριος εἰς τοὺς αἰῶνας, *gentibus populisque imperabunt* (nam κρίνειν, κρατεῖν, et βασιλεύειν sunt mere synonyma) *et erit dominus eorum rex,* regnabunt cum eo perpetuo i. e. summa felicitate perfruentur. add. Sir. IV, 16. Sed quare tantum duodecim Israelitarum tribus commemorantur? Erat Iudaeorum temporibus V. T. et vero etiam cum Christus iam aduenisset, solennis et communis opinio, Messiam futurum fore regem omnium omnino gentium populorumque, omnes populos esse suscepturos religionem Iudaeorum auitam, et ita coniunctum iri

cum

cum Iudaeis, vt vnus tantum ſit orbis terrarum populus; atque ad hanc opinionem reſpexiſſe mihi h. l. videtur Chriſtus. Caeterum ſubſcribo verbis *Krebſii* ad h. l. „loquitur Chriſtus de tempore eo, quo praemia, pro iactura in bonis et facultatibus huius vitae facta, reportaturi ſunt. Promittit igitur h. l. Apoſtolis, caeteriſque fidelibus coeleſtis vitae vſum, nunquam interiturum; quod dilucidius apparet ex locis parall. Marc. X, 30. et Luc. XXII, 30.“

CAPUT XX.

v. 1. ἅμα πρωῒ] i. e. *ſummo diluculo.* Sic 1 Macc. IV, 6. ἅμα τῇ ἡμέρᾳ *ſimul cum die*, i. e. quam primum dies illuxit. *Henke.*

v. 15. πονηρὸς] h. l. *inuidus*, *auarus.* Sir. XXXI, 24. πονηρῷ ἐπ᾽ ἄρτῳ *malo ad panem* h. e. inuido, auaro. Ita et hebr. Prov. XXIII, 6. רע עין dicitur is, qui eſt inuidus, immiſericors, non liberalis. *Henke.*

v. 21. καθίσωσιν — εἷς ἐκ δεξιῶν σου, κ. λ.] h. e. ſint tui amici, miniſtri, proximum iis a te locum concede, coll. v. 25 — 28. Formula enim *ſedere ad alicuius dextram* indicat vel: honorem et dignitatem 1 Sam. XX, 25. Sic Alexander rex Syriae honoris cauſſa aſſidere ſibi iuſſit Ionathanem 1 Macc. X, 63. καὶ ἐκάθισεν αὐτὸν (Ἰωνάθαν) ὁ βασιλεὺς μετ᾽ αὐτοῦ —, amicitiam, familiaritatem, Sir. XII, 12. μὴ καθίσῃς αὐτὸν ἐκ δεξιῶν σου, *noli eius conſuetudine vti*, ne ſit tibi familiaris, vel: poteſtatem, ſocietatem imperii Pſ. CX, 1. et h. l. Reges enim imperantes, ius dicentes, maieſtatem ſplendoremque oſtentantes, cogitantur ſedentes in ſoliis. v. *G. C. Knapp* de Chriſto ad dextram Dei ſedente, Halae 1787. 4.

v. 25.

v. 25. κατακυριεύουσιν αὐτῶν] Verbum compositum h. l. idem significat, quod simplex κυριεύειν, id quod non contextus tantum docet, sed confirmant etiam alia scripturae loca, in quibus τὸ κατακυριεύειν occurrit. Sic Sir. XVII, 4. vbi de Adami adhuc ante lapsum constituti dominio in creaturas vsurpatur, κατακυριεύειν θηρίων καὶ πετεινῶν. *Henke*. Respondet hebr. בעל, Ier. III, 14. διότι ἐγὼ κατακυριεύσω ὑμῖν, — Ps. LXXII, 8. καὶ κατακυριεύσει ἀπὸ θαλάσσης ἕως θαλάσσης, vbi quoque vim verbi simplicis κυριεύειν habet.

Capvt XXI.

v. 25. ἐξ οὐρανοῦ] pro, *Deo*, vt Luc. XV, 18. Sic 1 Macc. IX, 46. nunc igitur clamate εἰς οὐρανὸν *in coelum* i. e. Deum. *Henke*. add. 1 Macc. III, 18. καὶ οὐκ ἔστι διαφορὰ ἐναντίον τοῦ Θεοῦ τοῦ οὐρανοῦ σώζειν ἐν πολλοῖς ἢ ἐν ὀλίγοις, *Deo idem est seruare per multos aut per paucos*, verba τοῦ Θεοῦ reiici debent, sunt enim aperte glossema. cf. *Fischerus* ad *Leusdenii* libell. de Dialectis N. T. c. 2. Sect. 1. §. 8. p. 36. v. 60. ὡς δ' ἂν ᾖ θέλημα ἐν οὐρανῷ οὕτω ποιήσει, *sicut fuerit Dei voluntas, sic faciet*. add. IV, 19. Iob. XXII, 27. וְתִשָּׂא אֶל־אֱלוֹהַּ פָּנֶיךָ *et tolles faciem tuam ad Deum*, οἱ ὁ· ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν ἱλαρῶς, cf. *Schoettgen* Hor. Hebr. ad h. Matth. locum.

v. 34. ἐντραπήσονται] rationem habebunt filii mei, eius respectu commouebuntur. Hesych. ἐντρέπεται· λόγον ἔχει, μετατροπὴν λαμβάνει, κάμπτεται· Sap. II, 10. μηδὲ πρεσβύτου ἐντραπῶμεν πολιὰς πολυχρονίους, *negligamus, nullam rationem habeamus*. Vtitur hoc verbo Symmachus 1 Sam. XXV, 35. ad exprimendam formulam hebraicam נשא פנים. vid. etiam quae de hoc verbo notauit *Perizon.* ad Ael. H. V. III, 17.

Capvt

Caput XXII.

v. 2. ἐποίησε γάμȣς τῷ υἱῷ] interpretes plures intelligunt *coenam nuptialem.* Neque negari poteſt γάμος, et γάμοι (pluralis enim ſaepius ponitur, quoniam feſtum nuptiale per plures dies celebrari ſolebat Iudd. XIV, 10. ſed non differt a γάμος, vnde etiam Schol. ad Eurip. Phoen. v. 961. γάμοι· ὁ γάμος, ἀντὶ τȣ͂ ἡ μνηϛεία·) hoc ſenſu frequentari, vt Theophr. Char. XII, 1. XXII, 1. v. Albertius ad Matth. XXII, 8. et interpp. ad Thom. Mag. p. 178. nec non *Fiſcherus* Proluſſ. de vitiis Lex. N. T. p. 709 ſqq. Tob. VI, 13. καὶ ὅταν ὑποϛρέψομεν ἐκ Ῥαγῶν, ποιήσομεν τὸν γάμον, *inſtituamus coenam nuptialem;* 1 Macc. IX, 37. ὅτι Ἰαμβρὶν ποιȣ͂σι γάμον μέγαν, καὶ ἄγȣσιν τὴν νύμφην ἀπὸ Ναδαβάδ. Attamen γάμος adhibetur etiam de *conuiuio quocunque* Eſth. IX, 22. Iudaei dicuntur celebraſſe ἡμέρας γάμων καὶ εὐφροσύνης et cum h. l. non mentio fiat ſponſae, cum v. 4. ſimpliciter nominetur ἄριϛον, aſſentior *Fiſchero,* qui l. c. docet, eſſe h. l. omnino intelligendum conuiuium, in honorem filii inſtitutum, quem forte pater ſucceſſorem declarauerat. Sic facile quoque intelligitur, quam ob cauſſam multi conuiuio intereſſe noluerint.

Caput XXIII.

v. 29. οἰκοδομεῖτε τȣ̀ς τάφȣς τῶν προφητῶν] verbum οἰκοδομεῖν notat h. l. inſtaurare, exornare, et commutatur cum verbo κοσμεῖν, (quod magis Graece dicitur, vid. Xen. Mem. II, 2. 13.) quo ſenſu etiam legitur Ioh. II, 20. vbi ſermo eſt de templo ſecundo ab Herode exornato et amplificato. Sic etiam בנה ita adhibetur, vt ſit *munire,* Pſ. L, 19. Ioſ. VI, 26. et οἰκοδομεῖν 1 Macc. I, 33. καὶ ᾠκοδόμη-

δόμησαν τὴν πόλιν Δαυὶδ τέιχει μεγάλῳ· De more autem Hebraeorum exornandi ſepulcra v. *Albertius* et *Elſnerus* ad h. l. add. 1 Macc. XIII, 28. 29.

Capvt XXIV.

v. 8. ἀρχὴ ὠδίνων] vid. ad 1 Theſſ. V, 3.

v. 32. ἐγγὺς τὸ θέρας] i. e. *ſcitis aduenisse, adeſſe aeſtatem.* Etenim ἐγγίζειν non tantum notat appropinquare, vt adhuc abſis, ſed etiam appropinquare ita, vt adſis et attingas, vnde adeſſe, accedere, aduenire, eodemque ſenſu legitur etiam ἐγγύς· Matth. XXVI, 45. ἤγγικεν ἡ ὥρα, καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδίδοται. Sir. LI, 23. ἐγγίσατε πρός με ἀπαίδευτοι. Ita quoque קָרַב legitur Deut. XXXI, 14.

v. 51. διχοτομήσει αὐτὸν] non ſequi poſſum interpretationem eorum, qui haec verba explicant: *crudeli morte eum afficiet,* cum huic explicationi aperte repugnent verba ſequentia, quae de ſeruo tanquam adhuc viuente loquantur, cum praeterea tunc temporis in Iudaea non licuerit domino, ſeruum vita mulctare. Igitur verbum διχοτομεῖν explicandum mihi eſſe videtur, in vniuerſum, de *poena* crudeli quacunque. Erat ſcilicet olim hoc crudeliſſimum ſupplicii genus, vt reorum vel captiuorum corpora in duas partes ſecarentur, tam apud Hebraeos, quam apud Graecos atque Romanos vſitatum, v. 1 Sam. XV. 33. Diod. Sic. I, 2. Suet. Calig. c. 27. Hebr. XI, 37. *Gatacker.* Aduerſſ. p. 455. Hinc διχοτομεῖν vſurpari coeptum eſt eo ſenſu, vt eſſet, *crudeli morte aliquem interficere.* Heſychius: διχοτομεῖν· ἀναιρεῖν, omninoque *acerba atque atroci poena aliquem afficere,* vt h. l. et hiſtor. Suſan. v. 55. σχίσει σε μέσον· v. 59. πρίσαι σε μέσον. Et fortaſſe hoc Matth. loco ſunt graues plagae intelligendae.

Capvt

CAPVT XXV.

v. 30. ἀχρεῖος δοῦλος] *nequam et cessator*, [Dauus. Horat. Serm. II, 7. 101.] otiosus, qui nihil facit, id. qd. ἀργὸς, ὀκνηρός· Tob. IV, 13. ἐν τῇ ἀχρειότητι ἐλάττωσις καὶ ἔνδεια μεγάλη· ἡ γὰρ ἀχρειότης μήτηρ ἐστι τοῦ λιμοῦ, ἀχρειότης h. l. est *cessatio, pigritia*.

v. 36. ἐπισκέψασθε με] verbum ἐπισκέπτομαι respondet hebr. פקד quod proprie notat inuiso, visito, 1 Sam. XIV, 17. Act. VII, 23. deinde dicitur de iis, qui aliquem ita visitant, vt ei opem ferant, eius inopiae et egestati succurrant, omninoque eum beneficiis ornent, vt h. l. sic פקד Ruth. I, 6. Sir. VII, 35. μὴ ὄκνει ἐπισκέπτεσθαι ἄῤῥωστον *lubenter et promte succurras inopi*, Iacob. IV, 27. Ita etiam פקד dicitur de Deo Ex. IV, 31. populi enim rudes et inculti cum volebant hanc notionem exprimere, numen agere, efficere aliquid his in terris, dicebant vel: numen per nuntios agere, vel: numen ipsum de coelo descendere. Phauorinus: ἐπισκέπτομαι· τὸ προμηθεύομαι καὶ κήδομαι τινος· Tum vero etiam vt פקד malo sensu vsurpatur, vt sit: poena afficere, punire Sir. II, 17. ὅτε ἐπισκέπτηται κύριος, *cum eos puniet dominus*.

CAPVT XXVI.

v. 13. εἰς μνημόσυνον αὐτῆς] vid. ad. Act. X, 4.

v. 16. ἔστησαν] *ponderarunt, soluerunt*. Ier. XXXII, 9. ἔστησα αὐτῷ ἑπτὰ σίκλους· in textu: שָׁקַל 3 Esdr. VIII, 55. καὶ ἔστησα αὐτοῖς τὸ ἀργύριον· quoniam nimirum veteres pecuniam non numerare, sed ponderare et appendere solebant. Hinc metaphorice Sir. XXI, 27. λόγοι φρονίμων

νίμων ἐν ζυγῷ σταθήσονται, *sapientes solent verba sua ponderare.* Hinc σταθμὸς *trutina, pondus*, Sir. VI, 15.

v. 24. υἱὸς ἀνθρώπου ὑπάγει] verbum ὑπάγειν significat h. l. *mori.* Notum enim est etiam scriptores exteros verbis abeundi, (οἴχεσθαι, ἀπιέναι, ἀ[illegible]χεσθαι, βαίνειν etc.) εὐφημίας caussa, vti solere de moribundis et mortuis. Ita quoque legitur verbum הלך Ps. LVIII, 9. Gen. XV, 2. ita, ἀπέρχεσθαι Ioh. XIII, 7. 17. Sir. XIV, 19. Cf. *Kypke* ad h. l. *Casaubon.* ad Diog. Laert. 3. s. 6. nos ad Eurip. Alc. v. 379. Insignis hanc in rem locus extat Sap. IV, 2. vbi de foemina infoecunda, virtutis studiosa: παροῦσάν τε μιμοῦνται αὐτὴν, καὶ ποθοῦσιν ἀπελθοῦσαν, *viuam imitantur, mortuam desiderant.*

v. 38. περίλυπός ἐστιν ἡ ψυχή μου ἕως θανάτου] *tristis est meus animus vsque ad mortem* i. e. tristitia summa affectus sum. Exprimitur hac formula superlatiuus, Sir. IV, 28. ἕως τοῦ θανάτου ἀγώνισαι περὶ τῆς ἀληθείας i. e. *strenue, omnibus viribus et neruis veritatem defende.* Eodem modo οἱ ό· Ion. IV, 9. λελύπημαι ἐγὼ ἕως θανάτου.

v. 51. ἀφεῖλεν αὐτοῦ τὸ ὠτίον] ἀφαιρεῖν in genere notat *auferre*, tam sensu morali, quam physico, vt h. l. vbi reddendum, *amputauit.* Iohannes XVIII, 10. pro ἀφεῖλεν habet ἀπέκοψεν· Eodem sensu extat in histor. Iudith. XIII, 8. καὶ ἀφεῖλε τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ ἀπ' αὐτοῦ *amputauit ei caput.* 1 Macc. VII, 47. τὴν κεφαλὴν ἀφεῖλον· add. XII, 17. Sic etiam Latini vsurpant verbum *auferre.* Cic. ad Q. Fr. II, 14. auriculam fortasse mordicus *abstulisset.* Virg. Aen. X, 394.

v. 64. ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως] pro θεοῦ, Luc. XXII, 69. ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως θεοῦ· Solebant enim Iudaei Deum κατ' ἐξοχὴν nominare גבורה, hinc

hinc etiam Tob. I, 5. βαὰλ τῇ δυνάμει h. e. Baali Deo. Hebr. VIII, 1. δεξιὰ τῆς μεγαλοσύνης est dextra Dei, τȣ͂ μεγάλȣ. vid. etiam quos laudauit Ven. *Schleusner*. in Lex. s. v. δύναμις, n. 3.

Caput XXVII.

v. 24. ἀθῶός εἰμι ἀπὸ τȣ͂ αἵματος τ. δ.] *insons sum huius sanguinis innocentis*. Praepositio ἀπὸ redundat, cum Graeci simpliciter dicant ἀθῶος (h. e. apud veteres, illaesus, ἀζήμιος, innoxius. Aristoph. Nub. 1415. Menandr. fragm. p. 50. ἀθῶος ἔφυγεν *impune abiit*. add. Diod. Sic. T. I. p. 50. ed. Rhodom. sed apud recentiores: innocens, ἀναίτιος, id. qd. καθαρός, coll. Act. XX, 26. καθαρὸς ἐγὼ ἀπὸ τȣ͂ αἵματος πάντων· coll. Gen. XXIV, 8. 41. ibique LXX.) τȣ͂ αἵματος, sed additur, quoniam Hebraei vocabulo נָקִי cui ἀθῶος respondet, iungunt particulam מִ, v. *Vorstius* Phil. S. c. 19. Eadem formula legitur quoque in histor. Susan. v. 46. ἀθῶος ἐγὼ ἀπὸ τȣ͂ αἵματος ταύτης et οἱ ό· 2 Sam. III, 28. habent ἀθῶός (in hebraico נקי) εἰμι ἀπὸ τῶν αἱμάτων Ἀβεννήρ· Suidas et Hesychius ἀθῶος explicant, ἀναίτιος.

v. 39. κινȣ͂ντες τὰς κεφαλὰς αὐτῶν] capitis agitatio erat signum irrisionis et contumeliae Ps. CIX, 25. Ies. XXXVII, 22. Ps. XXII, 8. Sir. XII, 18. τὴν κεφαλὴν αὐτȣ͂ κινήσει — καὶ πολλὰ διαψυθιρίσει.

v. 43. Θεȣ͂ εἰμι υἱὸς] h. l. est, *dilectus Deo, ei carus*, vt saepe aliis in locis. Nam praecessit h. l. ῥυσάσθω αὐτὸν, εἰ θέλει αὐτὸν, *liberet eum, si bene ei cupit, ei fauet!* Docet hoc etiam locus nostro admodum similis: Sap. II, 18. εἰ γάρ ἐστιν ὁ δίκαιος υἱὸς Θεȣ͂ ἀντιλήψεται αὐτȣ͂, καὶ ῥύσεται αὐτὸν ἐκ χειρὸς ἀνθεστηκότων, *si Deus fauet viro probo, curam*

ram eius habebit, et eum liberabit ab aduersariorum iniuria. E quo loco simul hoc patet, formulas, quae leguntur Luc. XXIII, 47. ὄντως ὁ ἄνθρωπος οὗτος δίκαιος ἦν· Marc. XV, 38. ἀληθῶς ὁ ἄνθρωπος οὗτος υἱὸς ἦν θεοῦ, esse idem valentes, et δίκαιος non minus quam, υἱὸς θεοῦ notare *dilectum, carum Deo.* Caeterum Iudaei potissimum propterea postulabant descensum Iesu a cruce, vt appareret ipsum vere sese nominasse υἱὸν τοῦ Θεοῦ, Deo carissimum *(den Liebling der Gottheit),* quoniam hoc vtrumque conciliare non poterant, esse aliquem υἱὸν τοῦ Θεοῦ (hoc sensu) et calamitatibus opprimi. Existimasse enim videntur, Deum, cultorem sibi carum, non posse non a calamitatibus liberare, eumque, qui illis opprimatur, non esse posse talem. Cui opinioni ipsa populi fata originem dedisse videntur. Hanc autem fuisse opinionem Iudaeorum, haud obscure innuit locus Sap. supra laudatus: *si pius est filius Dei,* (ab eo vnice amatur) *is ei auxilio suo aderit, eumque ex inimicorum potestate liberabit.* Add. Sir. XXXII, 24. XXXIII, 1. ὁ πιστεύων νόμῳ προσέχει ἐντολαῖς, καὶ ὁ πεποιθὼς κυρίῳ οὐκ ἐλαττωθήσεται· Τῷ φοβουμένῳ κύριον, οὐκ ἀπαντήσει κακὸν, ἀλλ᾽ ἐν πειρασμῷ καὶ πάλιν ἐξελεῖται.

IN EVANGELIVM MARCI.

CAPVT I.

v. 4. Βάπτισμα μετανοίας] μετάνοια proprie dicitur de *mutatione consilii* et μετανοεῖν proprie significat: *mutare consilium*, vt Hebr. XII, 17. Prov. XXIV, 32. ὕστερον ἐγὼ μετενόησα *sententiam mutaui.* In versione Alexandrina respondet verbum μετανοεῖν hebraico שׁוּב et nomen μετάνοια Hebraeorum vocabulo תְּשׁוּבָה. Interdum, rarius tamen, hebraicum verbum נִחַם exprimitur per μετανοεῖν, frequentius per μεταμέλεσθαι vt sit *mutare consilium, sententiam*, Ier. XXXI, 19. vnde et Hesychius: μεταμέλειαν explicat per μετάνοιαν. Apud Hebraeos autem, hae voces שׁוּב et תשׁוּבה transferuntur ad religionem et adhibentur partim de iis, qui a vero Dei cultu descifcunt et ad idololatriam prolabuntur, partim de iis, qui repudiato idolorum cultu et repudiatis flagitiis cum hoc cultu coniunctis ad verum Dei cultum redeunt. Hinc μετάνοια *partim* tribuitur iis, qui *animum in* melius mutant, Luc. III, 8. nam h. l. recte praeclareque facta dicuntur καρποὶ τῆς μετανοίας, *fructus emendationis; partim* quoniam qui, animum mutat in melius, hanc animi sui mutationem solet factis declarare, tribuitur iis, qui *agendi consuetudinem* mutant ita vt a male factis abstineant, recteque factorum sint studiosi. Apoc. II, 5. vbi μετανόησον explicatur per: τὰ πρῶτα ἔργα ποίησον·

Sap. XI, 24. καὶ παρορᾷς ἁμαρτήματα ἀνθρώπων εἰς μετάνοιαν, vnde interdum additur ἀπὸ τῆς κακίας, Act. VIII, 22. ἀπὸ νεκρῶν ἔργων, Hebr. VI, 1.; *partim* tribuitur omnino iis, qui vitam animumque in melius mutent, vt adeo sit μετάνοια *emendatio animi et vitae*, Matth. IX, 13. Sap. XII, 10. κρίνων δὲ καταβραχὺ, ἐδίδυς τόπον μετανοίας — *leniter puniendo ad vitae animique emendationem in melius incitabas*; hinc μετάνοια legitur etiam de ipsa *virtute* et *probitate* Sir. XLIV, 16. Ἐνὼχ — ὑπόδειγμα μετανοίας ταῖς γενεαῖς *exemplum virtutis posteris*. Iam quoniam temporibus Christi Apostolorumque ad hanc vitae animique emendationem obstringebant sese ii, qui relicta Iudaeorum vel gentilium religionis professione et exercitatione religionem Christi suscipiebant; hinc μετάνοια eo quoque ponitur sensu, vt notet: *mutatam religionis professionem et exercitationem*, Act. XI, 18. — Iam hoc nostro loco baptismus vocatur βαπτισμὸς τῆς μετανοίας, quatenus is, qui baptizatur, promittit vitae animique mutationem in melius.

v. 5. καὶ οἱ Ἱεροσολυμῖται] *et* inprimis *Hierosolymitani*, vt III, 8. καὶ ἀπὸ Ἱεροσολύμων *et* inprimis *ex Hierosolymis*, XVI, 7. καὶ τῷ Πέτρῳ *et* inprimis *Petro dolenti*. Ita particulam καὶ reperimus Iudith IV, 13. ἐν πάσῃ τῇ Ἰουδαίᾳ καὶ Ἱερουσαλὴμ *in uniuersa Iudaea et* inprimis *Hierosolymis*. Henke.

CAPVT II.

v. 12. ὥστε ἐξίστασθαι πάντας] i. e. *ita vt omnes in summam admirationem raperentur*. Etenim verbum ἐξίστημι adhibetur de quacunque animi commotione vehementiori, etiam de iis, qui maxime sunt defatigati, qui deliquium animi patiuntur, qui non sunt mentis compotes et insaniunt, Xen. Mem. I, 3. 12. v. *Loes-*

v. *Loesnerus* ad III, 21. De terrore Gen. XXVII, 33. ἐξέστη δὲ Ἰσαὰκ ἔκστασιν μεγάλην *magno terrore perculsus est Isaacus.* Interdum additur voc. διάνοια, Gen. XLV, 26. καὶ ἐξέστη τῇ διανοίᾳ ὁ Ἰακὼβ, *Iacobus animi deliquium passus est*, vel καρδία Ios. II, 11. ἐξέστημεν τῇ καρδίᾳ ἡμῶν, *metu sumus repleti*, vel ψυχὴ, Ies. VII, 2. καὶ ἐξέστη ἡ ψυχὴ αὐτοῦ, καὶ ἡ ψυχὴ τοῦ λαοῦ *vehementer sibi metuit, et cum eo populus.* H. l. intelligi debet de admiratione summa, vt Iudith XII, 15. καὶ ἐξέστη ἡ καρδία Ὀλοφέρνου, *maxima admiratio formositatis puellae subiit Holophernis animum*, XV, 1. καὶ ὡς ἤκουσαν οἱ ἐν τοῖς σκηνώμασιν ὄντες, ἐξέστησαν ἐπὶ τὸ γεγονὸς, *cum milites in tentoriis versantes facinus audirent attoniti sunt.*

v. 26. ἐπὶ Ἀβιάθαρ τοῦ ἀρχιερέως] obiici hic solet plerumque, Abiatharis patrem, nempe Ahimelechum fuisse tunc temporis pontificem, coll. 1 Sam. XXI, 6. Sed videntur pater atque filius duo nomina habuisse, et patri quoque Abiatharis nomen fuisse, nam Abiathar Ahimelechi filius, vocatur 2 Sam. VIII, 17. et 1 Chron. XVIII, 16. *Ahimelechus Abiatharis filius.* Ergo Marcus omnino illum Ahimelechum Abiatharis patrem intellexit. Caeterum ἐπὶ verti debet *sub*, vel, *tempore*, vt 2 Macc. II, 8. ἐπὶ Μωϋσῇ *sub*, l. *tempore Mosis*, vt Luc. III, 2. ἐπὶ ἀρχιερέων Ἄννα καὶ Καϊάφα, *tempore Annae et Caiphae summorum pontificum.*

Capvt III.

v. 21. οἱ παρ᾽ αὐτοῦ] plerique: *qui apud ipsum.* Rectius *Schmidius*, qui ab ipso erant s. pendebant, aut, qui cum ipso scl. faciebant, h. e. *propinqui, familiares eius.* Sic 3 Esdr. I, 15. vbi Ἐδδινοῦς, siue vt 2 Paral. XXXV, 15. vocatur, Iedithun, dicitur ὁ

παρὰ τῦ βασιλέως qui est a rege i. e. intimus, et familiaris regis. Sic Hist. Susann. 33. 1 Macc. II, 15. 17. VII, 32. 41. IX, 44. 58. etc. *Henke.*

Etiam *Albertus*, *Kypkius* atque *Loesnerus* recte intelligunt h. l. *propinquos*. De verbis autem vltimis ὅτι ἐξέστη multa disputarunt interpretes. Equidem locum ita intelligo: Christus iam per longum tempus alta voce docuerat populum, ita vt maxime esset defatigatus, exibant igitur e domo ipsius amici, vt eum reciperent, (κρατῆσαι αὐτὸν, nempe φαγεῖν τὸν ἄρτον· coll. v. 20.), vt vero populum ab eo removerent, dicebant (ἔλεγον scilicet τῷ ὄχλῳ): *deliquium patitur* h. e. vult pati, patietur, (nam praesens saepe ponitur pro proxime futuro, Susann. v. 43. καὶ ἰδὲ ἀποθνήσκω μὴ ποιήσασα μηδὲν — *ego moriar quae nihil mali feci,* add. Matth. XXVI, 28.) vel: *maxime defatigatus est*, vtramque enim significationem habet verbum ἐξίστημι. vid. ad II, 12. et posteriorem confirmare etiam videtur auctoritas versionis Alexandrinae, quae Gen. II, 21. hebraicum תרדמה vertit ἔκστασις, sed Symmachus habet κάρος h. e. sopor profundus; vid. Zosim. I, 16. 3. Cydon. de contemn. morte XVI, 4. 7. ed. nostr. Et sic etiam Theodotion Ies. XXIX, 10. רוח תרדמה h. e. *sopor profundus* vertit πνεῦμα ἐκστάσεως, vbi Aquila habet πνεῦμα καταφορᾶς et LXX. πνεῦμα κατανύξεως. Hesychius: ἔκστασιν· ὕπνον, φόβον· (Suidas: ἔκστασις· θαυμασμὸς, ἀλλοίωσις h. e. cum animus a corpore ad tempus secessisse videtur). Iam vero, cum homines furiosi, postquam eos reliquit furor, soleant etiam esse maximopere defatigati; Pharisaei hanc amicorum Christi vocem audientes, dicebant: sane defatigatus est, *nam est furibundus.*

CAPVT VIII.

v. 31. καὶ μετὰ τρεῖς ἡμέρας ἀναστῆναι] non, *post tres dies*, sed, *tertio die*. Hoc enim modo interdum μετὰ ponitur, vt 1 Macc. I, 29. vbi rex Syriae Apollonium Hierosolymam misisse dicitur μετὰ δύο ἔτη, hoc est, *anno sequente*. Ita enim, historia iubente, haec verba reddenda sunt. Nonnullis aliis locis hunc vsum loquendi confirmauit *Krebsius* ad Decrett. Romm. pro Iudd. p. 75. sq. Hic vero vsus loquendi est Hebraicus. Solent enim Hebraei hoc in genere vti particulis ב et מ, quas Alexandrini exprimunt per μετὰ, veluti Exod. II, 23. vbi in textu hebraico legitur: בימים הרבים, οἱ ό habent: μετὰ δὲ τὰς ἡμέρας πολλὰς ἐκείνας· Deut. XIV, 28. *decimae prouentuum sunt soluendae* מקצה שלש שנים *in fine trium annorum*, οἱ ό. μετὰ τρία ἔτη· contra vero Deut. XXVI, 12. vbi hac eadem de re sermo est, et in hebraico extat בשנה השלישת, Alexandrini vertunt: ἐν τῷ ἔτει τῷ τρίτῳ· Ergo hae praepositiones ἐν et μετὰ ab Alexandrinis inter se permutantur. Quod idem facere etiam solent Graeci scriptores, nominatim Attici, vid. *Fischerus* Animaduerss. ad Weller. p. 375.

CAPVT IX.

v. 3. στίλβοντα] *corruscantia, nitentia*, instar fulguris, Ezech. XXI, 28. (vbi verbum ברק fulgurauit ab Alex. vertitur στίλβειν) instar flammae splendentis, Nah. III, 3. auri, epist. Ier. v. 24. aeris Corinthiaci optimi, καὶ σκεύη χάλκεα ἀπὸ χρυσοῦ στίλβοντα, 3 Esdr. VIII, 57. (coll. Esdr. VIII, 17. vbi in Hebr. legitur מצהב quod fuluum et aureum colorem designat) immo, instar solis, 1 Macc. VI, 39. ὡς δὲ ἔστιλβεν ὁ ἥλιος· *Henke*. στίλβει· λάμπει. Hesychius.

v. 11. ὅτι Ἠλίαν δεῖ ἐλθεῖν πρῶτον] Inter alias opiniones, quas Iudaei fouebant de regno Messiae futuri et rebus circa illa tempora euenturis, fouebant etiam hanc: Eliam, priusquam appariturus esset Messias, rediturum, mores populi correcturum eiusque animos ad recte recipiendum Messiam praeparaturum esse. Nitebatur haec opinio loco Malach. III, 23. sq. non satis recte proprie intellecto. v. Lightfoot. ad Matth. XI, 12. 13. Nam in N. T. ille locus non de Elia, sed de Iohanne constanter explicatur. Et est sane apud Malachiam sermo de temporibus Messianis, (v. nos *Messianische Weissag. des A. T.* ad Malach. III, 1. ff.) atque promittitur legatus diuinus *Eliae similis*, qui reuocaturus esset populum ad pietatem erga Deum, virtutisque studium. Cf. etiam *Eckermann, Theolog. Beytraege, Erst. Stück. S.* 67. sq. 157. sq. Credidisse vero Iudaeos, Eliam esse rediturum, hoc etiam patet ex Sir. XLVIII, 10. 11. ὁ καταγραφεὶς ἐν ἐλεγμοῖς (al. ἐλεγμὸς) εἰς καιρὸς, κοπάσαι ὀργὴν κρίσεως κυρίου πρὸ θυμοῦ, καὶ ἐπιστρέψαι καρδίαν πατρὸς πρὸς υἱὸν, καὶ καταστῆσαι φυλὰς Ἰακώβ. Μακάριοι οἱ ἰδόντες σε — καὶ γὰρ ἡμεῖς ζωῇ ζησόμεθα.

Caput X.

v. 19. μὴ ἀποστερήσῃς] Alexandrini hoc verbo modo expresserunt hebraicum גָּרַע *detraxit, deminuit*, Exod. XXI, 10. modo עָשַׁק *oppressit*, Deut. XXIV, 14. Mal. III, 5. Notat in genere, *nocere, alicui*, quocunque tandem id fiat modo, siue vi, siue fraude, siue calumnia, siue aliis viis et rationibus, vt Sir. XXIX, 8. ἀπεστέρησεν αὐτὸν τῶν χρημάτων αὐτοῦ *fraude eum opibus priuauit*, add. XXXIV, 23. 24.

v. 42.

v. 42. οἱ δοκοῦντες ἄρχειν τῶν ἐθνῶν] verbum δοκεῖν est h. l. pleonastice positum, ergo pro simplici οἱ ἄρχοντες, quod etiam legitur Matth. XIII, 12. Luc. VIII, 18. Sic in hist. Susan. v. 5. οἱ ἐδόκουν κυβερνᾷν τὸν λαὸν *qui populum regunt, rectores populi*, sic quoque Matth. III, 9. μὴ δόξητε λέγειν h. e. simpliciter: *ne dicatis*.

CAPVT XIII.

v. 11. μηδὲ μελετᾶτε] μελετᾷν est latinorum *meditari*, nec tantum notat, *secum reputare, cogitare*, sed etiam *curare, exercere se, operam dare, colere, sequi*, vt Sir. VI, 37. διανοοῦ ἐν τοῖς προστάγμασι κυρίου, καὶ ἐν ταῖς ἐντολαῖς αὐτοῦ μελέτα διαπαντός· *praecepta domini tecum reputa et de iis meditare semper*. Qui locus illustrandus ex Ps. I, 2. vbi οἱ ὁ· καὶ ἐν τῷ νόμῳ αὐτοῦ (κυρίου) μελετήσει ἡμέρας καὶ νυκτός· respondet ibi verbum μελετᾷν hebraico הגה quod de animi cogitatione et *de oratione* etiam dicitur., priori sensu Ps. I, 30. XIX, 15. posteriori XXXVII, 30. Sed Ps. I, 2. הגה et graecum μελετᾷν, vt et Sir. l. c. non minus quam διανοεῖν dicitur sensu latiori, non solum memoria repetere praecepta Dei, sed etiam iis exsequendis exerceri. Nostro Marci loco legitur de iis qui praeparati ad dicendum prodeunt, *nolite meditari*. Ita Isocrat. T. I. p. 362. ed. Batt. καὶ γὰρ αὐτοὶ πεποιήκατε τοὺς ῥήτορας μελετᾷν — *ipsi effecistis, vt rhetores meditentur*. v. *Wetsten*. N. T. T. I. p. 620. Hinc μελέται dicuntur orationes cum studio et cura elaboratae. — Lex. Cyrill. Brem. μελετᾷ· ἀσκεῖ, γυμνάζεται.

v. 13. ἐπαναστήσονται — ἐπὶ] *erigent se* (Florus II, 12. 1.) *contra parentes, hostiliter eos inuadent*. Hebraei enim קום ponere solent sequ. praepositio-

ne על h. e. ἐπί· 2 Sam. XVIII, 32. Ita Marc. III, 26. εἰ ὁ σατανᾶς ἀνέστη ἐφ᾽ ἑαυτόν· add. Matth. X, 21. Simili modo Susann. v. 61. καὶ ἀνέστησαν ἐπὶ τοὺς δύο πρεσβύτας· Eustathius ad Il. ά. p. 146. Rom. ὅρα δὲ τὸ ἀρχαϊκὸν τῆς λέξεως τοῦ ἐπανίστασθαι. Πάλαι μὲν γάρ ποτε τὸ ἐπὶ τιμῇ ἀνίστασθαι ἐδήλου· ὕστερον δὲ μάχιμος ἡ λέξις τοῦ ἐπανίστασθαι, καὶ τῆς ἐπαναστάσεως, τῆς ἐπὶ προθέσεως τὸ κατὰ δηλούσης; — ὡς εἶναι παρὰ τοῖς ὕστερον τὸ ἐπανίστασθαι ὅμοιον τῷ κατεξανίστασθαι· v. *Fischerus* Ind. Palaeph. s. v. ἀνιστάναι.

IN.

IN EVANGELIVM LVCAE.

CAPVT I.

v. 6. Ἐν πάσαις ταῖς ἐντολαῖς καὶ δικαιώμασι] sunt mere synonyma, vt Gen. XXVI, 5. ἐφύλαξε τὰ προστάγματά μου, καὶ τὰς ἐντολάς μου, καὶ τὰ δικαιώματά μου· Suidas: δικαιώματα· νόμος, ἐντολαὶ —. 1 Macc. I, 13. δικαιώματα et v. 14. τὰ νόμιμα. Itaque h. l. πορεύεσθαι ἐν κ. τ. λ. est, *sequi diligenter omnia praecepta diuina.* Nam tralaticium est, verba περιπατεῖν et πορεύεσθαι adhiberi de vitae institutis, studiis, moribus, viuendi consuetudine, et respondere verbis ζῆν atque βιοῦν.

v. 17. ἐπιστρέψαι καρδίας πατέρων κ. τ. λ.] Respicitur his verbis locus Mal. III, 23. 24. cuius verba praeclare hunc in modum vertit Dathius: *is* (Elias) *operam dabit, vt ad maiorum mores posteros reducat, hosque illorum agendi rationi iterum adsuefaciat.* LXX. ibi legunt: ὃς ἀποκαταστήσει (*ducet*; ita apud Ioseph. A. XII, 2. 13. legitur: τοὺς ἀποκαταστήσοντας ἐπὶ τὴν κατάλυσιν, *qui ad hospitium ducerent*) καρδίαν πατρὸς πρὸς υἱὸν, καὶ καρδίαν ἀνθρώπου πρὸς τὸν πλησίον αὐτοῦ· Sed interpres vulgatus accuratius expressit verba hebraica: *et conuertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum.* Ita et Syrus et Ionathan. Iam, *redire faciet* (nam ἐπιστρέψαι apud Lucam respondet hebr. השיב) *animos* (*die Gesinnungen,* quo sensu לב sae-

לב saepius legitur) *maiorum* (πατέρων) *ad posteros* (ἐπὶ τέκνα) h. e. sua doctrina, suis cohortationibus, admonitionibus efficiet, vt posteri erga Deum eundem habeant animum pium, quem habebant eorum maiores. *Et impios* (ἀπειθεῖς) *reuocabit* (repetendum ἐπιστρέψαι) *ad sentiendi rationem hominibus piis dignam* (ἐν φρον. δικ. pro εἰς φρόνησιν δικ.) *ita vt praeparetur populus ad recte excipiendum dominum* i. e. Messiam. Hanc interpretandi rationem confirmat locus Siracidis, quem supra ad Marc. IX, 11. laudauimus.

v. 28. εἰσελθὼν πρὸς αὐτὴν] h. e. in conclaue illius. Sic Iudith. XII, 13. cf. Marc. XV, 43. Act. XVI, 40. εἰσῆλθον εἰς τὴν Λυδίαν. *Henke.* Quod quam bene graecum sit, demonstrant exempla plura a *Koenio* ad Gregorium de Dialectis p. 19. allata.

κεχαριτωμένη] quae gratiam, fauorem consecuta es Dei, Deo places. v. 30. εὗρες χάριν παρὰ τῷ Θεῷ. Syrus: מליא טיבותא *plena gratia* i. e. fauore, Sir. XVIII, 17. ἀμφότερα παρὰ ἀνδρὶ κεχαριτωμένῳ, vbi intelligitur *vir qui in summa apud omnes est aestimatione.* — Vocatur εὐλογημένη h. e. felix, felicissima mulierum, idem quod μακαρία Luc. XI, 27. vbi legitur: μακαρία ἡ κοιλία ἡ βαστάσασά σε καὶ μαστοὶ οὓς ἐθήλασας. Quocum loco conferrem Ouid. Met. IV, 322. sq. *Siue es mortalis, qui te genuere beati, Et frater felix et fortunata profecto Si qua tibi soror est, quae dedit, vbera nutrix.*

v. 30. εὗρες χάριν] *consecuta es fauorem Dei.* Gen. VI, 8. מצא חן בעני יהוה. Act. VII, 46. εὗρε χάριν ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ. Formulam esse vtramque hebraicam cum בְּעֵינֵי ab Alex. modo per ἐν ὀφθαλμοῖς, modo per ἐναντίον, modo per ἐνώπιον et παρὰ exprimatur, docuit *Fischerus* ad *Leusden.* libell. de Hebrais-

Hebraiſmis N. T. p. 157. — Sed εὑρίσκειν notat *conſequi*, vt Sir. VI, 16. οἱ φοβȣ́μενοι κύριον, εὑρήσȣσιν αὐτὸν, nempe φίλον πιϛὸν *homines pii conſequentur amicum certum.* add. v. 18. XII, 2. καὶ εὑρήσεις ἀνταπόδομα *et continget tibi remuneratio.* add. XVI, 14. XXXII, 14.

v. 48. ἐπέβλεψεν ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν τῆς δȣ́λης αὐτȣ͂] pro τὴν ταπεινὴν δȣ́λην *reſpexit me* (i. e. tanto beneficio ornauit) *feminam obſcuram et ignobilem.* Verbum autem ἐπιβλέπω cum de Deo reſpectu hominum ponitur, notat: *propitium eſſe hominibus, iis ſuccurrere, eos fauore amplecti, ornare beneficiis.* Reſpondet hebr. פָּנָה Leuit. XXVI, 9. vbi οἱ ὁ· ἐπιβλέψω ἐφ᾽ ὑμᾶς, καὶ εὐλογήσω. Hinc Gen. XLIV, 21. verba hebraica: אשימה עיני עליו *ponam oculum meum ſuper eum,* Alexandrini ad ſenſum expreſſerunt: ἐπιμελȣ͂μαι αὐτȣ͂· Iudith. VI, 19. ἐπίβλεψον ἐπὶ τὸ πρόσωπον τῶν ἡγιασμένων, vbi paulo ante legitur, ἐλέησον τὴν ταπείνωσιν τȣ͂ γένȣς ἡμῶν *miſerere gentis noſtrae depreſſae et afflictae.* Ita quoque Latini ſolent vti verbo *adſpicere*; Virg. Aen. II, 690. *Iupiter omnipotens, precibus ſi flecteris vllis,* Adſpice *nos, hoc tantum.* Reſpicere Iuuenal. Sat. VII, 2. ſq. *ſolus enim triſtes hac tempeſtate Camoenas* reſpexit.

v. 49. τὰ μεγαλεῖα] ſcilicet ἔργα vel πράγματα, ſunt proprie *admirationis digna facinora.* Suidas: μεγαλεῖον· μεγαλοπρεπές. In literis ſacris autem, cum de Deo vſurpatur, notat plerumque *beneficia diuina* magna et admiratione digna, ſic h. l. Act. II, 11. Sir. XVIII, 4. ȣ̓δενὶ ἐξεποίησεν ἐξαγγεῖλαι τὰ ἔργα αὐτȣ͂· καὶ τίς ἐξιχνιάσει τὰ μεγαλεῖα αὐτȣ͂ *nemini licet facinora ipſius recte praedicare, quis comprehendit ipſius admiranda beneficia.* Tob. XI, 15. ἀπήγγειλε τῷ πατρὶ αὐτȣ͂ τὰ

μεγα-

μεγαλεῖα τὰ γενόμενα αὐτῷ ἐν τῇ Μηδίᾳ *nuntiauit patri suo omnia beneficia Dei quae ipsi in Media contigerant.* Apud Alexandrinos respondet hebraico גדלות Ps. LXX, 21. ἃ ἐποίησάς μοι μεγαλεῖα. LXXI, 29.

v. 52. καθεῖλε — ὕψωσε ταπεινοὺς] Sir. X, 14. θρόνους ἀρχόντων καθεῖλεν ὁ κύριος, καὶ ἐκάθισε πραεῖς ἀντ' αὐτῶν· *thronos principum destruxit dominus, et collocauit eo loco in iis homines obscuros et ignobiles.* Qui locus Siracidis nostro et simillimus non solum quoad sensum, (nam vtroque loco haec significatur sententia: Deus est rerum fortunarumque omnium supremus moderator) sed etiam quoad singula verba. Etenim πραῢς est apud Sirac. plane idem quod ταπεινὸς apud Lucam. Alexandrini nimirum interpretes hebraicum ענו et עני h. e. *afflictus, pauper, obscurus, ignobilis* exprimere solent graeco vocabulo πραῢς, (Ps. XXXIII, 2. LXXV, 9. Iob. XXIV, 4. Ies. XXVI, 6. vbi in textu hebraico coniunguntur עני et דלים οἱ ἀπραεῖς καὶ ταπεινοὶ) quod proprie notat, mansuetum, lenem, benignum, modestum, qui fert aliorum iniurias, facile de suo iure cedit; hinc afflictum, pauperem. Caussa huius vsus loquendi in promtu est, tales enim calamitatibus pressi, homines paupe- res, homines obscuri et ignobiles esse plerumque solent. Hi iidem vero etiam interpretes Graeci non modo hebraicam formulam ענוי־ארץ Amos VIII, 4. expresserunt per πτωχοὺς ἀπὸ τῆς γῆς, vbi πτωχοὶ significant *homines conditionis inferioris,* atque adeo πτωχοὶ sunt iidem, qui alias πραεῖς et ταπεινοὶ, sed etiam vocabula ταπεινοὶ et πραεῖς aliis in locis tanquam synonyma inter se permutarunt. Sic Prov. III, 34. ענוים vertunt ταπεινοὶ, sed Zach. IX, 9. hoc idem nomen per πραῢς.

Ex

Ex his ergo hactenus dictis consequitur ex vsu loquendi versionis septuagintaviralis, vocabula ταπεινὸς et πραῢς esse synonyma, notare homines afflictos, pauperes, obscuros et ignobiles. Et hanc posteriorem significationem inesse vocabulo, Lucae loco, exinde patet, quoniam τοῖς ταπεινοῖς opponuntur δυνάσαι, sicuti apud Sirac. sibi inuicem opponuntur πρᾳεῖς et ἄρχοντες. — Porro verbum καθαιρεῖν, quod inter alia notat *destruere, demoliri,* atque dicitur de aedificiis, vrbibus, munitionibus, quae destruuntur, (1 Macc. V, 65. καὶ καθεῖλε τὸ ὀχύρωμα αὐτῆς· VIII, 10. καὶ κατεκράτησαν τῆς γῆς αὐτῶν, καὶ καθεῖλον τὰ ὀχυρώματα αὐτῶν· *occuparunt eorum regionem ac destruxerunt eorum munitiones.*) vsurpatur deinde de iis, qui alios *auctoritate et potestate priuant,* vt h. l. et apud Sirac.

v. 53. ἐξαπέςειλε κενοὺς] *vacuos dimisit, opibus priuauit.* Ἐξαποςέλλειν h. l. *dimittere cum aliqua nota turpitudinis, cum ignominia et contemtu,* vt XX, 10. Sir. XXIX, 9. μὴ ἀποςρέψῃς αὐτὸν κενὸν *noli pauperem remouere, dimittere vacuum.* Alexandrini verbo ἐξαποςέλλειν vtuntur de iis, qui vxores dimittunt, Deut. XXII, 19. 29. vbi in hebraico legitur verbum שָׁלַח.

v. 54. ἀντελάβετο Ἰσραὴλ παιδὸς αὐτοῦ] Significatio propria huius verbi est, *infirmum vel prostratum manibus prehendere et subleuare;* hinc in genere, *curam alicuius suscipere, habere,* quocunque caeteroquin hoc fiat modo. Sic h. l. Sir. III, 11. ἀντιλαβοῦ ἐν γήρᾳ πατρός σου *curam suscipe patris tui senis,* ad vitam sustentandam necessaria ei suppedita. II, 6. πίςευσον τῷ Θεῷ καὶ ἀντιλήψεταί σου *spem tuam in Deo repone, et tui habebit curam.* XXIX, 12. ἀντιλαβοῦ πένητος *succurre*

pau-

pauperis inopiae. Iudith. XIII, 16. ὅτι νῦν καιρὸς ἀντιλαβέσθαι τῆς κληρονομίας σȣ, *nunc tempus populum tuum peculiarem ex his calamitatibus eripiendi.* Sunt preces Iudithae ad Deum.

v. 69. ἤγειρε κέρας σωτηρίας ἡμῶν] *erexit nobis cornu salutis* h. e. simpliciter, *concessit nobis seruatorem.* Cf. *Fischerus* Prolusſ. de Vitiis Lexx. N. T. p. 217. sq. Vnde metaphora deducta sit, dissentiunt inter se interpretes, vid. *Rosenmüllerus* in Scholiis ad h. l. Possunt omnino verba hunc in modum explicari. Altare, quod in atrio templi Hierosolymitani collocatum erat, habebat in quatuor angulis, quatuor eminentias, hebraice קְרָנוֹת οἱ ό- κέρατα. Hae eminentiae erant supplicum perfugia, 1 Regg. I, 50. Confirmatur hoc loco 1 Macc. II, 48. καὶ ȣκ ἔδωκαν κέρας τῷ ἁμαρτωλῷ *non concesserunt, vt gentes cornua sumerent*, adeoque se seruarent, euaderent; praecesserat autem v. 45. καὶ καθεῖλον τȣ̀ς βωμȣ̀ς *deleuerunt aras.* Hoc ergo nostro loco translatum est ad *seruatorem*, ad eum qui perfugium est, vt 1 Sam. XXII, 3. vbi Deus dicitur κέρας σωτηρίας h. e. *seruator, perfugium,* hic idem sensus inest h. l. huic formulae. coll. v. 71. vbi extat σωτηρίαν ἐξ ἐχθρῶν ἡμῶν· h. e. σωτῆρα. Non nego Zachariam ad illa supplicum perfugia respexisse h. l. sed cum κέρας sit etiam solennis scriptoribus Hebraeorum imago roboris, potentiae, Sir. XLVII, 11. existimo etiam hanc notionem huic vocabulo h. l. inesse, adeoque significari, *seruatorem potentem, illustrem, hoc nomine dignum.* Sic saltem non plane otiosum esset vocabulum κέρας.

Caput II.

v. 11. χριστὸς κύριος] ita iuncta sunt, vt posterius vocabulum sit interpretamentum prioris, quo eodem

eodem modo coniuncta leguntur XXIII, 2. χριςὸν βασιλέα. Nam מלך et משיח quoniam regibus Iudaeorum ipsa regia dignitas ac potestas conferri solebat vnctione, frequenter tanquam synonyma in libris V. T. copulantur, vt 1 Sam. II, 10. Ps. XVIII, 51: quin 2 Macc. I, 24. ipse Deus vocatur ὁ μόνος βασιλεὺς καὶ χριςός· quod vero aliis in locis est βασιλεὺς, h. l. est κύριος, vt Act. II, 26.

v. 34. εἰς πτῶσιν καὶ ἀνάςασιν] πτῶσις haud raro notat *infelicitatem, miseriam, calamitatem*; vt h. l. Sir. III, 31. ἐν καιρῷ πτώσεως, *tempore calamitoso.* XX, 18. Baruch. IV, 23. 24. Et sic quoque ἀνάςασις h. l. per metaphoram indicat, *felicitatem*, quo sensu legitur ἀνάςημα Iudith. XII, 8. ἐδέετο τοῦ κυρίου θεοῦ Ἰσραὴλ, κατευθῆναι τὴν ὁδὸν αὐτῆς εἰς ἀνάςημα τῶν υἱῶν τοῦ λαοῦ αὐτῆς· conf. quae notaui ad Hos. VI, 2. Caet. h. l. vocabulum πτῶσις per metonym. notat *auctorem infortunii*, vt ἀνάςασις *auctorem felicitatis*. Et cum formula κεῖσθαι εἰς τὶ haud raro notet *esse alicui rei destinatum*, rem aliquam esse alicui quacunque de caussa certam et paratam, 1 Thess. III, 3. Phil. I, 17. patet verba esse h. l. vertenda: *erit destinatus auctor miseriae et felicitatis multorum.* Hoc explicandum ex euentu. Multi Iudaeorum, Christum Messiam agnoscent, doctrinam ipsius probabunt, et ita suam felicitatem promouebunt, multi vero eum repudiabunt, et ita sibi miseriam contrahent. Ergo hoc modo ad puerum ipsum refertur, quod erga eum ita sese Iudaei gererent.

v. 49. ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου] subintelligendum est οἰκήμασι, atque significatio huius formulae est: *versari in domo paterna*, quomodo recte expressit Syrus paraphrastes. Sir. XLII, 10. ἐν τοῖς πατρικοῖς αὐτοῦ *in domo patris sui.* Esth. VII, 9. ἐν

τοῖς Ἀμὰν *in domo Hamanis*. Gen. XLI, 51. vbi οἱ ό· hebraica verba ואת כל בית אבי *et omnem domum paternum*, ita reddiderunt: καὶ πάντων τῶν τοῦ πατρός μου *omnia tentoria paterna*. Sic ad Theocrit. Id. II, v. 76. οὗ τὰ Λύκωνος, Scholiastes: ὅπου εἰσὶ τὰ οἰκήματα τοῦ Λύκωνος. Sensus autem verborum Christi hic est: Maria dicit: *quare hoc fecisti? nos anxii te vbique locorum quaesiuimus*. (Ergo non de negotio aliquo, sed de loco verba facit. Neque adeo, vt alii volunt, subintelligendum πράγμασι). Respondet Iesus: *quare me quaesiuistis* (vbique locorum)? *num ignorabatis, me oportere esse in domo patris mei? hic primum me quaerere debebatis.*

Caput III.

v. 14. ἀρκεῖσθε τοῖς ὀψωνίοις ὑμῶν] ὀψώνιον proprie idem est quod προσόψιον, προσφάγιον et antiquissimis Graecis ὄψον (vid. *Krebs.* ad Plutarch. de Aud. Poet. p. 101. sq.) h. e. *omne quod ad panem comeditur*. Iam quoniam antiquissimis temporibus milites, frumentum, carnes, fructus &c. stipendii loco accipere solebant, v. Iul. Caes. B. G. I, 23. 1. *Stewech.* ad Veget. II, 19. p. 201. factum est, vt ὀψώνιον adhiberetur de *stipendio militari*, et retineret etiam hunc significatum tum quoque, cum militibus darentur nummi. H. l. notat *stipendium militare*, vt et 1 Macc. XIV, 32. καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς ὀψώνια *et dedit iis stipendia*. 1 Macc. III, 28. καὶ ἔδωκεν ὀψώνια ταῖς δυνάμεσιν αὐτοῦ εἰς τὸν ἐνιαυτὸν *et dedit militibus suis stipendia in annum*. add. 3 Esdr. IV, 56. Deinde vero ὀψώνιον occurrit etiam sensu latiori *de stipendio quouis, mercede quauis*, 2 Cor. XI, 8. et metaphorice de *fructu quouis* siue *praemio* siue *poena*, Rom. VI, 23. ad quem locum Theodoretus: τὸν μισθὸν ὀψώνιον κέκληκεν·

κεν· ὀνομάζειν γὰρ οὕτω φίλον αὐτῷ τὸ στρατιωτικὸν σιτηρέσιον· καὶ γὰρ ἐν τῇ πρὸς Κορινθίους (1 Cor. IX, 7.) φησί· τίς στρατεύεται ἰδίοις ὀψωνίοις ποτέ; *mercedem* stipendium *appellauit. Sic enim vocare solet militarem annonam. Nam et in epistola ad Corinthios sic ait: ecquis tandem suis stipendiis militat?* Hesychius: ὀψώνιον· δαπάνη, κέρδος.

CAPVT V.

v. 5. ἐπιστάτα] Rectissime auctor Etymol. M. ἐπιστάτης· ὁ ἐφεστηκὼς εἰς πρᾶγμα ὁτιοῦν, *qui rei, negotio cuilibet est praefectus.* Nam vocabulum hoc, in genere notat *magistrum, praefectum quemlibet,* hinc 3 Esdr. I, 8. ἐπιστάται τοῦ ἱεροῦ· hinc pastores gregis ap. Soph. Ai. 27. vocantur ἐπιστάται. Deinde vero ἐπιστάτης, vt Latinorum *magister*, notat, *praeceptorem, doctorem* et respondet voc. διδάσκαλος, vt h. l. Sic Luc. VIII, 24. etiam legitur ἐπιστάτα, sed Matth. VIII, 25. κύριε, et Marc. IV, 38. διδάσκαλε, qui sunt loci paralleli. Hesychius: ἐπιστάτης· ἐφέτης ἢ ἐπαίτης ἀπὸ τοῦ ἐφίστασθαι (sed ἐφιστάναι τινὰ notat *docere, instruere aliquem*, Plutarch. de audiend. poetis c. 7. et c. 3. vbi commutatur cum verbo διδάσκειν) ἢ ἐπίτροπος, ἢ διδάσκαλος, καὶ ὁ τακτικὸς, καὶ ὁ βραβευτὴς, καὶ ἄρχων τις Ἀθήνησι (de hoc magistratu Atheniensi v. *Fischerus* ad Plat. Apol. Socr. XX, 4.) καὶ ὁ ἐφεστηκώς.

CAPVT VI.

v. 35. καὶ ἔσεσθε υἱοὶ τοῦ ὑψίστου] scilicet θεοῦ, *eritis Deo cari, accepti,* ornabimini ab eo praecipuis beneficiis, vt Sir. IV, 10. γίνου ὀρφανοῖς ὡς πατὴρ, — καὶ ἔσῃ ὡς υἱὸς ὑψίστου, *sis pater parentibus destitutorum*

tutorum — et eris filius Dei h. e. tanquam filium te tractabit, te amabit maximopere, nam sequiturstatim καὶ ἀγαπήσει σε μᾶλλον ἢ ἡ μήτηρ σȣ· *maiori amore te prosequetur, quam quo te tua prosequitur mater.*

44. 45. Qualis sit animi vestri indoles; vos factis vestris declaratis, sicuti ex fructibus arboris cognoscitur, qualis sit arbor. Haec comparatio in literis sacris frequens. Instituitur etiam ap. Sir. XXVII, 6. γεώργιον ξύλον ἐκφαίνει ὁ καρπὸς αὐτȣ̃, ȣ̃τως λόγος ἐνθυμήματος καρδίας ἀνθρώπȣ.

Capvt VIII.

v. 3. γυνὴ Χȣζᾶ, ἐπιτρόπȣ Ἡρώδȣ] Vocabuli ἐπίτροπος vsus latissime patet; notat omnino eum, cuius curae ac fidei aliquid ita commissum est, vt alterius loco certa quaedam negotia administret, *procuratorem.* Hinc qui reditus Caesaris in prouinciis curabant, quae cura committebatur hominibus vel equestris dignitatis, vel etiam libertinae conditionis, dicebantur ἐπίτροποι, ita tamen vt nonnulli eorum in minoribus prouinciis imperio proconsulari essent praediti, h. e. iudicia facerent, iusque vitae et necis haberent, qualis fuit Pontius Pilatus, qui a Philon. Leg. ad Cai. p. 1033. E. dicitur ἐπίτροπος τῆς Ἰȣδαίας, v. *Fischerus* Prolusf. de Vitiis Lexx. N. T. p. 435. sq. hinc Lysias 2 Macc. XI, 1. vocatur ἐπίτροπος τȣ̃ βασιλέως *regis thesaurarius*, XIII, 2. XIV, 2.; hinc ἐπίτροπος, *tutor pupillorum*, Ael. H. V. XIII, 44. Hesychius: ἐπίτροπος· ὁ προστατῶν — καὶ τῶν ὀρφανῶν· hinc, *procurator rei domesticae*, inprimisque villarum, Hesychius: ὁ προστατῶν χωρίων καὶ ὅλης τῆς ȣ̓σίας· hi curatores erant plerumque ex seruorum genere, et talis h. l. *Chuza* fuisse videtur. — In epist. ad Gal. IV, 2. ἐπίτροπος notat

notat eum *seruum, cui concredita est educatio pueri*, atque respondet voc. παιδαγωγὸς, III, 24.

CAPVT X.

v. 1. ἀνέδειξεν] h. e. *constituit*. Nimirum verbum ἀναδείκνυμι proprie significat *ostendo*; iam quoniam ii, qui muneri alicui publice praeficiebantur, solebant in conspectum populi produci, hinc notat quoque *creo, constituo, praeficio aliquem*, 1 Esdr. I, 34. τὸν Ἰεχονίαν ἀνέδειξεν βασιλέα· *creauit Iechoniam regem*. (ita quoque Zosim. I, 17. 3.) 2 Macc. X, 11. ἀνέδειξεν ἐπὶ τῶν πραγμάτων Λυσίαν τινὰ, *rebus gerendis administrandisque Lysiam quendam praefecit*. XIV, 12. καὶ στρατηγὸν ἀναδείξας τῆς Ἰουδαίας, *constituerat Iudaeae praefectum*, add. IX, 23. 25. 3 Esdr. II, 3.

v. 4. μὴ βαστάζετε βαλάντιον, μὴ πήραν] ne portate, inquit seruator, βαλάντιον nec πήραν· discrimen inter duo haec vocabula ab interpretibus hoc statuitur, vt βαλάντιον sit crumena, cui immittitur pecunia, inque ea adseruatur, πήρα autem vsurpetur de sacco, in quo commeatus, et alia necessaria recondi solent. Ad posterius vocabulum quod attinet, iste significatus confirmatur Iudith. XIII, 10. καὶ ἐνέβαλεν (Iuditha nimirum) αὐτὴν (caput Holophernis) εἰς τὴν πήραν τῶν βρωμάτων· *Henke*.

CAPVT XI.

v. 22. καὶ τὰ σκῦλα αὐτοῦ διαδίδωσιν] *et distribuit bona, opes*. Etenim hoc vocabulum proprie quidem indicat *spolia, praedam, manubias*, vnde σκυλεύσαι πολέμιον est, vestes et arma detrahere hosti, eum spoliare, Ael. H. V. VI, 6. ad quem locum v. *Perizon.* et grammatici obseruant discrimen inter σκῦλα et λάφυρα, Lex. MS. Brem. Cyrilli:

σκύλα, τὰ ἀπὸ τῶν ἐν πολέμῳ ἀνηρημένων λαμβανόμενα, λάφυρα δὲ ἀπὸ τῶν ζώντων· Sed deinde significat *supellectilem, bona, opes*, quae direptae sunt vel diripiuntur, vt h. l. Hinc etiam Matth. XII, 29. scripsit σκεύει, et loco nostri διαδίδωσι, verbum διαρπάσαι. Caussa est, quoniam Hebraei vocabulum שָׁלָל cuius propria significatio est *praeda*, eodem significatu, nempe de bonis vel direptis vel diripiendis ponere solent, vt Esth. III, 13. vbi οἱ ό· habent, τὰ ὑπάρχοντα, sed Zach. XIV, 1. τὰ σκύλα. Confirmatur haec vocabuli vis et potestas etiam loco 1 Macc. I, 19. καὶ ἔλαβε τὰ σκύλα γῆς Αἰγύπτου, *diripuit opes Egypti.*

v. 27. vid. notata ad I, 28.

Capvt XII.

v. 19. Locus simillimus Sir. XI, 19. ἐν τῷ εἰπεῖν αὐτόν· εὗρον ἀνάπαυσιν, καὶ νῦν φάγωμαι ἐκ τῶν ἀγαθῶν μου, καὶ οὐκ οἶδε τίς καιρὸς παρελεύσεται, καὶ καταλείψει αὐτὰ ἑτέροις, καὶ ἀποθανεῖται.

v. 29. καὶ μὴ μετεωρίζεσθε] μετέωρον dicitur, quodcunque sublime est; Gloss. vett. μετέωρος, ὑψηλὸς, *sublimis, excelsus* Sir. XXXVII, 18. ἢ ἑπτὰ σκοποὶ ἐπὶ μετεώρου καθήμενοι ἐπισκοπῆς, *quam septem speculatores sedentes in sublimi specula*, maxime tamen quod in aëre, in coelo est, Lex. Cyrill. MS. Brem. μετέωρα· τὰ ἐν οὐρανῷ καὶ αἰθέρι, ὡς ἥλιος, οὐρανὸς, καὶ αἰθήρ· hinc μετεωρίζεσθαι *se attollere, se eleuare*, et metaphorice, *animo esse elato atque superbo.* 2 Macc. V, 17. ἐμετεωρίζετο τὴν διάνοιαν ὁ Ἀντίοχος, *animose efferebat Antiochus.* 2 Macc. V, 21. διὰ τὸν μετεωρισμὸν τῆς καρδίας, *propter animi superbiam.* Cum ergo inter alia μετέωρον adhibeatur de fumo, de aëre, actum est vt μετεωρίζειν τινα notaret, *incitare aliquem*

quem ad coepta vana et temeraria, et μετεωρίζεσθαι in medio, *incitare se ad* etc. *omninoque res vanas et inutiles curare, in rebus vanis et inutilibus animum occupare.* v. *Loesnerus* et *Raphelius* Obss. Xenophh. ad h. l. et *Schleusneri* Lex. s. h. v. H. l. igitur μὴ μετεωρίζεσθε verterem: *nolite vanis curis indulgere, vos dedere.*

v. 36. ἀναλύσει] *revertatur.* Verbum quod varios habet significatus, de quibus v. Suicer. Thes. Eccl. s. h. v., hic denotat reditionem, reditum, reversionem. Sic 3 Esdr. III, 3. *rex* ἀνέλυσεν *rediit in cubiculum suum.* Tob. II, 9. *ea ipsa nocte* ἀνέλυσα *reuerti a sepeliendis mortuis.* Sap. II, 1. ἀναλύειν ἐξ ᾅδου *redire ab inferis.* 2 Macc. VIII, 25. ἀνέλυσαν, *redierunt* ab insequendis hostibus. *Henke.* Cf. etiam *Schleusneri* Lexicon s. h. v. *Loesnerus* et quae nos notauimus ad 2 Tim. IV, 6. *Bosius* Exercc. ad Phil. I, 12. et *Krebsius* ad h. l. nostrum.

v. 48. παρέθεντο] παρατίθεσθαι significat, aliquid tradere, committere, et commendare eo modo, vt depositum seruandum, ac suo tempore restituendum. Quae verbi emphasis clarius patebit, si contulerimus Tob. I, 14. IV, 20. coll. IX, 2. *Henke.*

Capvt XIV.

v. 1. φαγεῖν ἄρτον] h. e. *vt conuiuio interesset.* Solebant Iudaei vt omnino dies festos, (Tob. II, 1.) ita inprimis etiam sabbata, hilariter peragere, et conuiuiis institutis celebrare. Iudith. VIII, 6. καὶ ἐνήστευσε πάσας τὰς ἡμέρας χηρεύσεως αὐτῆς, χωρὶς προσαββάτων, καὶ σαββάτων· Testatur hoc quoque Plutarch. Sympos. L. IV. quaest. 5. vbi, comparationem inter Iudaeorum et Bacchi festa instituens, scribit: οἶμαι δὲ καὶ τὴν τῶν σαββάτων

ἑορτὴν μὴ παντάπασιν ἀπροσδιόνυσον εἶναι, et paulo post haec addit: αὐτοὶ δὲ τῷ λόγῳ μαρτυροῦσιν ὅτι σάββατον τιμῶσι μάλιστα μὲν πίνειν καὶ οἰνοῦσθαι παρακαλοῦντες ἀλλήλους. Quod caeteroquin formulam ipsam φαγεῖν ἄρτον attinet, ea est hebraica, et notat *coenare, prandere*, nam οἱ ό· vocem hebr. אָכוֹל לֶחֶם non tantum vertunt φάγειν ἄρτον, sed etiam interdum ἀριστᾷν Gen. XLIII, 25. et συνδειπνεῖν v. 32. v. *Fischer*. Proluss. de vitiis etc. p. 303. sq.

v. 12. καὶ γένηταί σοι ἀνταπόδομα] verbotenus: *et tibi fiat retributio*, h. e. et illi te quoque, vt par pari referant, te ad conuiuium concelebrandum inuitent. Praefert nimirum Christus, vt bene ad h. l. obseruauit *Rosenmüllerus*, ea beneficia, quae tribuuntur hominibus pauperibus, iis, quae conferuntur in diuites. Ἀνταπόδομα autem, cuius synonymum est ἀνταπόδοσις, vsurpatur *tam* sensu bono, de *beneficiis*, vt h. l. et Sir. XII, 2. εὐποίησον εὐσεβεῖ, καὶ εὑρήσεις ἀνταπόδομα, *beneficiis orna hominem pium, et tu quoque beneficiis ornaberis*; add. XX, 9. *quam* sensu malo, *de poenis*, Rom. XI, 9. Sir. XIV, 6. καὶ τοῦτο ἀνταπόδομα τῆς κακίας αὐτοῦ haec poena improbitatis ipsius. add. XVII, 17. Respondet hebr. גְּמוּל quod bono sensu Ps. CII, 3. Ps. CXXXVI, 11. et malo legitur Ps. XCIII, 2. Ioel. III, 4.

Caput XV.

v. 12. τὸ ἐπιβάλλον μέρος τῆς οὐσίας] *partem facultatum tuarum, quae mihi competit*, idem quod τὸ ἀνῆκον· Ἐπιβάλλειν *competere, deberi*, Tob. VI, 11. ὅτι σοι ἐπιβάλλει ἡ κληρονομία αὐτῆς. 1 Macc. X, 30. ἀντὶ τοῦ ἡμίσους τοῦ καρποῦ ξυλίνου τοῦ ἐπιβάλλοντός μοι λαβεῖν, *a dimidia parte*

fructus

fructus arboris quae mihi debetur. 2 Macc. III, 3. δαπανήματα ἐπιβάλλοντα πρὸς τὰς λειτεργίας τῶν θυσιῶν, *sumtus qui ad ministerium sacrificiorum requirebantur.* 2 Macc. IX, 16. τὰς ἐπιβαλλέσας πρὸς τὰς θυσίας προστάξεις *imperatos ad sacrificia necessarios sumtus.*

Caput XVI.

v. 9. ἐκλύπητε] scilicet τὸν βίον, *mori*, Hesychius: ἐκλείψει· ὑςερεῖ, ἀπολεῖται. Sap. V, 13. οὕτως καὶ ἡμεῖς γεννηθέντες ἐξελίπομεν, *ita et nos nati morimur.* Tob. XIV, 11. de Tobia, ἐξέλιπεν *exspirauit anima ipsius super lecto.* Iudith. VII, 22. et *iuuenes* ἐξέλιπον *defecerunt et conciderunt in plateis.* Alexandrini hoc verbo vtuntur, pro מות Ier. XLII, 17. 22. *Henke.*

Caput XVII.

v. 4. ἑπτάκις] *septies*, i. e. *saepius*, certus numerus pro incerto, Sir. VII, 3. υἱὲ μὴ σπεῖρε ἐπ' αὔλακας ἀδικίας, καὶ ὀ μὴ θερίσῃς αὐτὰς ἑπταπλασίως· XXXV, 11. ἑπταπλάσια ἀνταποδώσοι σοι.

v. 37. σῶμα] *cadauer.* Apud Matthaeum, XXIV, 28. legitur πτῶμα, vnde et h. l. Codd. nonnulli ex glossemate legunt πτῶμα. Locus ex libris apocryphis huc pertinens extat Tob. I, 18. καὶ ἐζητήθη ὑπὸ τῦ βασιλέως τὰ σώματα, καὶ ὀυχ εὑρέθη.

Caput XX.

v. 21. καὶ ὀ λαμβάνεις πρόσωπον] *nec personam respicis* h. e. non hominum potentia, dignitas, auctoritas, te potest impedire, quo minus veritatem doceas. Formula nimirum λαμβάνειν πρόσωπον,

qua vſi ſunt Theodot. Iob. XIII, 8. Aquila 1 Sam. XXV, 35. et Alexandrini Leuit. XIX, 15. Mal. I, 8. ad exprimendam hebraicam vocem שִׂית פָּנִים indicat, *rationem perſonae alicuius habere*, v. *Fiſcherus* ad *Leuſden.* de Dial. N. T. p. 152. Sir. XLII, 1. μὴ λάβῃς πρόσωπον τȣ͂ ἁμαρτάνειν, *noli cuiuſquam cauſſa peccatis indulgere.* XXXV, 16. κύριος κριτής ἐςι, καὶ ȣ̓κ ἐςι παρ᾽ αὐτῷ δόξα προσώπȣ, *dominus iudex eſt, nec quicquam apud eum valet rerum externarum ſplendor.* Matth. XXII, 16. habet eodem ſenſu: βλέπειν εἰς πρόσωπον ἀνθρώπων, et praeceſſit ibi ȣ̓ μέλει σοι περὶ ȣ̓δενός, *tu neminem curas.* Hinc προσωποληψία, Iac. II, 1. eſt *perſonarum reſpectus*, et προσωπολήπτης, Act. X, 34. dicitur is, *qui habet perſonarum rationem*, qui mouetur rebus externis, auctoritate, dignitate, potentia, qua alii praediti ſunt. add. Sirac. IV, 22. 27. VII, 6.

Capvt XXI.

v. 5. καὶ ἀναθήμασι κεκόσμηται] [ἀνάθημα ſignificat *rem quamcunque Deo ſacratam*, nominatim *dona Diis ſacrata*, *quibus ornabatur templum*, Lucian. T. II. p. 625. ed. *Reiz.* vnde etiam *templum ipſum cum donariis*, quo ſenſu adhibuit voc. *donaria* Virg. Georg. III, 533. *donaria alta*, i. e. templa]. Lucae igitur dicuntur ἀναθήματα, donaria illa, quae templo dono data, inque eo ornatus cauſſa ſuſpenſa erant. Lucem praebet collatio 2 Macc. IX, 16. ὃν δὲ πρότερον ἐσκύλευσεν ἅγιον νεὼν καλλίςοις ἀναθήμασι κοσμήσειν· *quod vero prius ſpoliauerat ſanctum templum, pulcherrimis anathematis* (donariis Deo ſacratis) *exornaturum.* 3 Macc. III, 17. προθυμηθέντων ἡμῶν εἰσελθεῖν εἰς τὸν ναὸν αὐτῶν, καὶ τοῖς ἐκπρεπέσι καὶ καλλίςοις ἀναθή-

μασι

μασι τιμῆσαι· *cogitantibus nobis ingredi in templum eorum, et decentibus atque pulcherrimis anathematis ornare.* Verbum est ἀνατιθέναι [proprium de donariis, quae diis consecrata e parietibus templorum suspendebantur], quod legitur Iudith. XVI, 19. καὶ ἀνέθηκεν Ἰουδὶθ πάντα τὰ σκεύη Ὀλοφέρνου, ὅσα ἔδωκεν ὁ λαὸς αὐτῇ, καὶ τὸ κωνωπεῖον ὃ ἔλαβεν αὐτὴ ἐκ τοῦ κοιτῶνος αὐτοῦ, εἰς ἀνάθημα τῷ κυρίῳ ἔδωκε· *suspendit vero omnia vasa Holophernis, quae dedit ei populus, et conopoeum quod sumsit ipsa e cubiculo eius, in anathema s. donarium Deo sacratum dedit,* et 2 Macc. V, 16. καὶ τὰ ὑπ' ἄλλων βασιλέων ἀνατεθέντα πρὸς αὔξησιν καὶ δόξαν τοῦ τόπου (nempe templi Hierosolymitani, de quo hic sermo est) καὶ τιμὴν, *et ab aliis regibus anathemata ad augmentum et gloriam loci et honorem.* [cf. quae de donariis illis monuerunt *Salmas.* ad Solin. p. 767. *Suic.* Thes. Eccl. et quos laudavit *Schleusner.* in Lexico s. v. ἀνάθημα.] *Henke.*

v. 7. τί τὸ σημεῖον, — γίνεσθαι] Calamitates publicas, praecedere solere signa quaedam, communis erat Iudaeorum opinio; hinc etiam h. l. discipuli Iesu interrogant eum, quaenam signa sint praegressura, Hierosolymorum interitum. Cf. hanc in rem Sap. XIX, 13. αἱ τιμωρίαι τοῖς ἁμαρτωλοῖς ἐπῆλθον, οὐκ ἄνευ τῶν γεγονότων τεκμηρίων, *poenae immissae sunt peccatoribus, non sine editis ante signis,* additur τῇ βίᾳ τῶν κεραυνῶν· et nostro loco v. 11. σημεῖα ἀπ' οὐρανοῦ μεγάλα ἔσται· add. Matth. XXIV, 3.

v. 23. ἀνάγκη — καὶ ὀργὴ] sunt vocabula eiusdem significationis. Nempe ἀνάγκη *necessitas,* h. l. verti debet, *miseria, calamitas,* apud Matth. XXIV, 21., et Marc. XIII, 19. pro ἀνάγκη legitur vocabulum θλίψις. Hoc sensu ἀνάγκη extat Tob. III,

7. ἐπὶ-

7. ἐπίταξον ἀπολυθῆναί με τῆς ἀνάγκης *libera me ab hac miseria*; v. 11. εἰς ἡμέρας ἀνάγκης, *ad tempus calamitosum.* add. 2 Macc. VI, 7. Alexandrini hoc voc. graeco exprimunt hebraica nomina מָצוֹק Pſ. CXVIII, 142. מְצוּקָה Pſ. XXIV, 18. צָרָה Pſ. XXX, 9. quae proprie *necessitatem, angustias* ſignificant. Atque etiam apud ſcriptores exteros hoc ſignificatu ἀνάγκη legitur, quod negauit *Krebſius.* v. *Loeſnerus* ad h. l. vbi locis ab hoc Viro Doctiſſimo allatis, addi poteſt Ael. H. V. XII, 24. ἐπικουφίσαι τοῖς ἀπορουμένοις τὴν ἀνάγκην τῆς πενίας *egentibus paupertatis miſeriam leuare.* Etiam Latini eodem modo ponere ſolent vocabulum *neceſſitas,* Suet. Caeſ. c. 68. *famem, et caeteras* neceſſitates — *tantopere tolerabant* etc. Tiber. c. 47. *niſi ſenatui iuſtas* neceſſitatum *cauſſas probaſſent,* ad quem locum *Erneſtius:* „*neceſſitates* hic, de more iſtius ſeculi, pro inopia, atque adeo aere alieno dicuntur." — Vocabulum porro ὀργή, quod ſatis frequenter dicitur de *poenis diuinis,* h. l. notat *miſeriam,* qua premuntur ii, qui poenas luunt, 1 Macc. I, 64. καὶ ἐγένετο ὀργὴ μεγάλη ἐπὶ Ἰσραὴλ σφόδρα, *maxima tunc temporis Iſraelitae premebantur calamitate.* Vt ergo hoc noſtro Lucae loco exhauriretur ſententia haec: *erit tempus maximopere calamitoſum,* iunctae ſunt voces et formulae idem valentes.

v. 38. ὤρθριζε] ὀρθρίζειν, cuias ſynonymum eſt ὀρθρεύειν (Moeris: ὀρθρεύει, ἀττικῶς, ὀρθρίζει, ἑλληνικῶς.) deducitur ab ὄρθρος, h. e. *diluculum,* cum nox abiit, nec tamen orta eſt dies (Phrynichus p. 120. — οἱ δὲ ἀρχαῖοι ὄρθρον, καὶ ὀρθρεύεσθαι, τὸ πρὸ ἀρχομένης ἡμέρας, ἐν ᾧ ἔτι λύχνῳ δύναταί τις χρῆσθαι, *veteres* ὄρθρος *et* ὀρθρεύεσθαι *adhibuerunt de tempore matutino, quo quis adhuc poteſt vti lucerna*) atque notat: *mane, primo diluculo ſurgere*

1 Macc.

1 Macc. VI, 33. ὤρθρισεν ὁ βασιλεὺς τὸ πρωΐ *rex primo diluculo surrexit*. add. Draco. v. 20. hinc, in genere: *mane aliquid agere*, vt h. l. *mane conuenire*. 1 Macc. IV, 52. καὶ ὤρθρισαν τὸ πρωῒ — καὶ ἀνήνεγκαν θυσίαν h. e. *primo mane* — *obtulerunt sacrificia*. In versione Alexandrina respondet hebraico הִשְׁכִּים Iudd. VI, 28. Exod. XXXIV, 4. Ier. XI, 7.

Caput XXII.

v. 25. καὶ οἱ ἐξουσιάζοντες αὐτῶν, εὐεργέται καλοῦνται] εὐεργέτης (*benefactor* Hesychius: εὐεργέτης, ἀγαθοποιός) erat nomen honoris, quod tribuebatur iis, qui de rebus alterius bene essent meriti, qui alterum vel commodis exornassent, Sap. XIX, 13. οὗτοι δὲ εὐεργέτας ξένους ἐδουλεύοντο, *illi vero aduenas, qui ipsos beneficiis ornarant, in seruitutem redegerunt*; vel a periculis, incommodisque defendissent et liberassent, 2 Macc. IV, 2. καὶ τὸν εὐεργέτην τῆς πόλεως *seruatorem ciuitatis*; omninoque qui bello et pace de re publica essent bene meriti, reges inprimis (Ptolomaeus Euergetes) et imperatores. Atque respondet formulae Lat. *pater patriae*. Cf. nos ad Cydon. de contemnenda morte (Lips. 1786. ap. Sommerum) p. 33. *Fischerus* ad Aeschin. Socr. s. v. εὐεργέτης, et ad Plat. Apol. Socr. XXVI, 12. *Wetsten*. N. T. T. I. p. 805. et quos laudauit *Schleusnerus* in Lex. s. h. v. — Iam h. l. haec omnis formula posita esse videtur, pro, καὶ οἵτινες εὐεργέται καλοῦνται, ἐξουσιάζουσιν αὐτῶν, atque sensus eiusdem, idem, qui prioris vocis: *et qui patres patriae vocantur* (h. e. reges, οἱ βασιλεῖς τῶν ἐθνῶν,) *potestatem in eos exercent*.

v. 44. ἀγωνία] indicat *metum* et *trepidationem summam*, 2 Macc. III, 14. ἦν δὲ οὐ μικρὰ κατὰ τὴν

πόλιν

πόλιν ἀγωνία, *erat summa in urbe trepidatio* v. 16. coloris mutatio indicauit τὴν κατὰ ψυχὴν ἀγωνίαν v. 21. pontifex erat μεγάλως διαγωνιῶν *maximopere metuebat et trepidabat.* Demosth. pro Cor. c. 11. ἦν δὲ Φίλιππος ἐν φόβῳ καὶ πολλῇ ἀγωνίᾳ. Diod. Sic. T. I. p. 33. ed. Rhodom. διὰ δὲ τὴν ἀγωνίαν τὴν ἐκ τῆς ἀναβάσεως τοῦ ποταμοῦ γινομένην *propter metum vero ex inundatione fluuii ortum.*

Capvt XXIII.

v. 31. ἐν τῷ ξηρῷ (ξύλῳ) τί γένηται] prouerbialiter haec dicuntur. Solebant enim Hebraei *viros bonos,* vocare, *ligna viridia,* malos, *arida.* vid. Ezech. XX, 47. coll. XXI, 3. Sir. VI, 3. τὰ φύλλα σου καταφάγεσαι, καὶ τοὺς καρποὺς σου ἀπολέσεις, καὶ ἀφήσεις σεαυτὸν ὡς ξύλον ξηρόν· *folia tua comede, tum fructus tuos perdes, et relinques te ipsum, vt lignum aridum. Henke.* — Sed ξύλον h. l. est *arbor*, vt Apoc. XXII, 2. Sic עץ *arbor* Exod. IX, 25. X, 5. vbi οἱ ό· τὰ ξύλα. Sensus est: Si homo probus et integer (qualis ego sum) adeo graues calamitates perferre debet, quanto grauiora mala improbus (quales vos maximam partem estis) perferet.

v. 46. εἰς χεῖράς σου παραθήσομαι τὸ πνεῦμά μου] h. e. *tuae tutelae commendo animum meum.* Πνεῦμα idem est quod ψυχή. Alexandrini רוח Gen. VI, 3. 17. vertunt πνεῦμα, sed Gen. XLI, 8. ψυχή. Εἰς χεῖράς σου indicat *tutelam,* vt Sap. III, 1. δικαίων δὲ ψυχαὶ ἐν χειρὶ θεοῦ, καὶ οὐ μὴ ἅψηται αὐτῶν βάσανος, *probi sub tutela Dei delitescunt, nec tanget eos vllum malum.*

IN

IN EVANGELIVM IOHANNIS.

CAPVT I.

v. 18. Θεὸν ὀυδεὶς ἑώρακε πώποτε] h. e. *cognouit perfecte, mente et cogitatione percepit.* Verbis enim videndi, cum sit hic sensus omnium nobilissimus, saepe reliquorum sensuum perceptiones declarantur, sicut et omnino verba sensuum inter se permutantur. v. *Brunck.* ad Soph. Oed. Col. v. 138. Locus nostro similis est Sir. XLIII, 31. τίς ἑώρακεν αὐτὸν (scl. κύριον), καὶ ἐκδιηγήσεται; *quis ita cognouit accurate dominum, vt possit eum recte et digne celebrare?* Hunc enim verbi ἐκδιηγεῖσθαι significatum contextus ibi flagitat. XLII, 15. ἃ ἑώρακα ἐκδιηγήσομαι, *quae cognoni, enarrabo*, add. v. 25.

v. 21. ὁ προφήτης εἶ σύ] *num vnus prophetarum olim viuentium?* Iudaei enim non modo Eliam, temporibus Messiae resuscitatum iri existimabant, sed alios quoque prophetas, vnde Matth. XVI, 14. Christo interroganti discipulos, qualem se esse dicerent Iudaei, respondent: ἕτεροι δὲ, Ἱερεμίαν, ἢ ἕνα τῶν προφητῶν· add. Luc. IX, 8. vbi legitur, nonnullos enarrasse Herodi, ὅτι προφήτης εἷς τῶν ἀρχαίων ἀνέστη· Sermo est ibi de Christo. Et de Ieremia quidem, hanc fuisse Iudd. opinionem, patet ex 2 Macc. II, 7. 8. coll. XV, 14.

v. 26. μέσος δὲ ὑμῶν ἕστηκεν] h. e. simpliciter: *inter vos est.* Etenim μέσος, quam saepissime vt hebr.

hebr. בְּקֶרֶב Ief. V, 2. Pf. XXII, 23. ponitur pleonaftice, vid. *Fifcher.* ad *Leufden.* de Dial. N. T. p. 88. Sic VIII, 9. γυνὴ ἐν μέσῳ ἑςῶσα *et mulier adftans.* Sir. XLVIII, 17. καὶ εἰσήγαγεν εἰς μέσον αὐτῆς (πόλεως) ὕδωρ, *induxit aquam* in *vrbem.* L, 6. ὡς ἀςὴρ ἑωθινὸς ἐν μέσῳ νεφέλης, *ficuti lucifer* in *nubibus.* Ita quoque Latini; Terent. Adelph. III, 4. 33. *mater virginis* in medio *eft* i. e. *adeft.* Virg. Aen. II, 240. I, 505. ad quem locum v. *Heyne.*

CAPVT II.

v. 8. τῷ ἀρχιτρικλίνῳ] Architriclinus quifnam fuerit, quaenam muneris ipfius partes, vtrum hac in re ex Iudaeorum an exterorum moribus illuftratio peti poffit et debeat, diffentiunt inter fe interpretes variafque coniecturas protulerunt, quas accuratius examinauit peculiari libello *Ioh. Ern. Immanuel Walch* de architriclino Ioh. II, 8. Ienae 1753. 4. Scilicet *Gaudentius,* qui floruit A. C. 388. in tractatu *de lectione euangelii* Ioh. II, 2. ff. v. Biblioth. Max. Patr. T. V. p. 958. ed. Lugdun. fcribit: „nuptiae apud Iudaeos cum fierent, vnus, quantum traditione comperimus, dabatur de facerdotali ordine, qui morem difciplinae legitime gubernaret, curamque pudoris ageret coniugalis, fimul et conuiuiorum apparatum, miniftros atque ordinem difpenfaret, et pro hoc officio architriclinus i. e. triclinii praepofitus dicebatur.“ *Ianus Gruterus* ad Plaut. Perf. Act. V. fc. 2. fequitur *Gaudentium,* et e Siracidis verbis, (XXXV, (al. XXXII.) 1. ἡγέμενόν σε κατέςησαν; μὴ ἐπαίρε. γίνε ἐν αὐτοῖς ὡς εἷς ἐξ αὐτῶν, φρόντισον αὐτῶν, καὶ ἔτως κάθισον, *fi magifter factus es, noli efferri, efto inter alios, quafi vnus eorum; cura eos, deinde fedeto, et tuo munere recte perfunctus, accumbe.*) contendit, Iudaeis non minus vfitatum fuiffe in

con-

conuiuiis, magiſtrum conuiuii, creare, vt Graecis et Romanis. Sed vt recte *Druſius* et *Grotius* obſeruarunt ad Sirac. locum, eſt ibi ſermo de praeſide conuiuii, qui alias dicebatur *ſympoſiarcha*, et erat vir valde honoratus; ſed a Iohanne ita deſcribitur, vt appareat, eius munus fuiſſe ſeruile, eum non vna cum conuiuis ad menſam accubuiſſe. Ergo Siracidis locus non ſatis recte hanc in rem laudatur. Neque *Gaudentii* auctoritas rem conficit, cum ipſe fateatur, ſe traditionem ſequi, neque definiat accuratius, quaenam tempora intelligat. Cf. *Iſ. Caſaubon.* Exercitt. Antibaron. XIII. c. 19. p. 241. *Baſnagius* Annal. politico eccleſ. ad a. 29 §. 42. p. 269. — Iam ſi etymologiam vocabuli ſpectamus, notat *praefectum conuiuii* (non conuiuarum), qui curam habebat, epularum, ciborum potulentorumque apparatus. Nam deducitur ab ἀρχὸς *princeps*, *praefectus*, et τρίκλινος, *coenaculum*. Ex Polluce autem ſatis euidenter apparere videtur, *Architriclinum* fuiſſe eundem, qui alias dicebatur τραπεζοποιὸς, Pollux Onomaſt. L. III. ſegm. 41. p. 287. ὁ δὲ πάντων τῶν περὶ τὴν ἑςίασιν ἐπιμελέμενος, τραπεζοποιὸς, *is vero qui omnia ad conuiuium ſpectantia curat*, τραπεζοποιὸς *dicitur*. Et hoc quidem fuiſſe architriclini munus, vel etymologia vocabuli, vt vidimus, docet. Porro idem Pollux L. VI, ſegm. 13. p. 570. haec habet: ὁ δὲ φροντίζων τῆς ὑπηρεσίας ἁπάσης τραπεζοποιός. Ἡ δὲ ὑπηρεσία, παῖδες, οἰνοχόοι, τραπεζοκόμοι, τομεῖς, μάγειροι, ὀψοποιοὶ, ὀψαρτυταὶ, *qui omne curat miniſterium*, τραπεζοποιὸς *dicitur*. *Famulitium autem eſt*, *pueri*, pincernae, *menſarii*, *ſectores*, *coqui*, *obſoniorum paratores*, *condi*. Iam vero cum h. l. Chriſtus pincernas ad architriclinum ablegauerit, vt illi vinum guſtandum porrigerent, patet, eum fuiſſe ciborum potuſque, vt et pincernarum

praefectum; hic praefectus alias dicebatur τραπεζοποιὸς, et erat seruus, ergo ἀρχιτρίκλινος h. l. idem est qd. τραπεζοποιὸς et intelligitur seruus ille, qui conuiuii, reliquorumque seruorum praefectus erat.

Capvt III.

v. 13. ὀυδεὶς ἀναβέβηκεν εἰς τὸν ὀυρανὸν] opponuntur sibi inuicem v. 12. τὰ ἐπίγεια, et τὰ ἐπουράνια, vtrumque, vt nemo non intelligit, tropice dictum est, atque per τὰ ἐπίγεια, *ea quae in terra eueniunt*, intelliguntur ea, quae in oculos incurrunt, quae facile a quouis possunt cognosci, v. c. mutatio vitae in melius, de qua in antecedentibus sermo erat. Sed per τὰ ἐπουράνια, *ea quae in celo eueniunt*, intelliguntur ea, quae non in oculos incurrunt, quae non a quouis possunt intelligi, igitur, *obscura, arcana, recondita* v. c. consilia Dei, res futurae, Messias morietur v. 14. morte sua genus humanum (πᾶς) v. 15. 16. beabit. Iam cum v. 13. cohaereat cum v. 12. in promtu est, formulam ἀναβαίνειν εἰς τὸν ὀυρανὸν esse quoque tropice dictam. Itaque *nemo adscendit in coelum* erit, nemo habet cognita Dei consilia arcana, quam filius hominis, qui fuit (ὢν) apud Deum (I, 18. ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρὸς *filius Dei dilectus*), cui Deus ea manifestauit. Similis locus est Baruch. III, 29. τίς ἀνέβη εἰς τὸν ὀυρανὸν, καὶ ἔλαβεν αὐτὴν, *quis adscendit in coelum, et* sapientiam *accepit*. add. Deut. XXX, 12.

v. 21. ὁ ποιῶν τὴν ἀλήθειαν] *qui virtutis studiosus est*, nam opponitur ei v. 20. ὁ φαῦλα πράσσων *qui vitiis indulget*. Eodem sensu legitur Tob. XIII, 6. ποιῆσαι ἐνώπιον Θεοῦ ἀλήθειαν· Ipsi Alexandrini interpretes Prou. XXVIII, 6. habent, κρεῖσσον πτωχὸς ὁ πορευόμενος ἐν ἀληθείᾳ *praeferendus*

rendus est pauper, qui recte et honeste viuit etc. vbi in textu hebraico extat vocabulum תם *integritas, probitas.* add. Tob. III, 5. ὀ γὰρ ἐπορεύθημεν ἐν ἀληθείᾳ h. e. *non virtutis probitatisque studiosi fuimus,* praecessit: οὐκ ἐποιήσαμεν τὰς ἐντολάς σου *non obseruauimus tua praecepta.*

v. 33. ἐσφράγισεν] h. e. *confirmat, probat.* Nimirum σφραγὶς notat *obsignationem,* Draco v. 21. σῶοι αἱ σφραγίδες τοῦ Δανιὴλ, etiam *annulum obsignatorium,* Sir. XLIX, 11. καὶ αὐτὸς ὡς σφραγὶς ἐπὶ δεξιᾶς χειρὸς, *ille vt annulus obsignatorius in manu dextra,* id. qd. δακτύλιος h. e. *annulus,* Bel Drac. v. 14. καὶ σφράγισον τῷ δακτυλίῳ σου, *obsigna annulo tuo.* Schol. ad Soph. Electr. v. 1226. σφραγῖδα πατρός· δακτύλιον. Hesychius: σφραγίδες· αἱ ἐπὶ τῶν δακτυλίων, — vid. *Salmas.* ad Lamprid. p. 211.; hinc σφραγίζειν et κατασφραγίζειν proprie, *obsignare, sigillum imprimere,* Tob. VII, 16. ἔγραψε συγγραφὴν καὶ ἐσφραγίσατο· add. Draco v. 18. Iam quoniam sigillo imposito, aliquid ab omni fraude liberum, certum, et firmum redditur: verbum σφραγίζειν per metaphoram notat: *confirmare* vt h. l. Eph. I, 13. 1 Cor. II, 4. *in tuto aliquid collocare, certum reddere aliquid,* Sap. II, 5. ὅτι κατεσφραγίσθη, καὶ οὐδεὶς ἀναστρέφει, *certum est neminem ab inferis redire;* hinc εἰς σφραγῖδα, Rom. IV, 11. idem quod εἰς βεβαίωσιν, vt 1 Cor. IX, 2. 2 Tim. II, 19.

CAPVT V.

v. 35. ἐκεῖνος ἦν ὁ λύχνος ὁ καιόμενος καὶ φαίνων] frequens est in literis sacris comparatio doctoris cum luce, quatenus sua doctrina animos homi-

num collustrat, eos edocet, et sic felices reddit. Nam *lux* tropice cum dicitur, habet plerumque adiunctam simul notionem felicitatis, cum tenebrae sint perpetua imago miseriae, infelicitatis. Eatenus ergo etiam h. l. Iohannes dicitur λύχνος, plane vt Sir. XLVIII, 1. de Elia legitur: ἀνέστη Ἡλίας ὁ προφήτης ὡς πῦρ, καὶ ὁ λόγος αὐτοῦ ὡς λαμπὰς ἐκαίετο· *apparuit Elias propheta tanquam ignis, et doctrina ipsius tanquam fax ardebat.* Eatenus etiam Christus ipse Apoc. XXI, 23. nominatur ὁ λύχνος et Ioh. I, 8. φῶς, vnde patet, nullum discrimen inter haec duo vocabula intercedere. Conf. praeterea Rom. II, 19. Ioh. VIII, 12. XII, 46. Ies. LX, 1. XLII, 6. 7. XLIX, 8. 9.

Capvt VI.

v. 9. παιδάριον] vti נער *puer*, dicitur de prima aetate vsque ad virilem [Gen. XLIV, 30. Beniamin, qui iam vxorem in matrimonium duxerat, nominatur נער], ita etiam hoc sensu vocabulum παιδάριον. Sic Tobias iunior, qui tamen ea iam aetate erat, vt vxorem ducere posset, vocatur παιδάριον, Tob. VI, 2. X, 13. *Henke.*

Capvt VIII.

v. 4. ἐπαυτοφόρῳ] idem quod ἐν ἔργῳ, et ἐπ' αὐτόπτῳ, Suidas et Phauorin. ἐπ' αὐτόπτῳ· ἐπ' αὐτοφώρῳ· Ἐπ' αὐτοφώρῳ· ἐπ' ὀφθαλμοῖς. Proprie autem αὐτόφωρος dicitur is, qui deprehensus est in ipso furto, fur manifestus. Vnde Hesychius: ἐπαυτοφώρῳ· ὁ ἐπ' αὐτῷ τῷ κλέμματι εὑρεθείς. — Deinde sensu latiori, qui in flagranti delicto, omninoque in facinore quodam deprehenditur. Ergo ἐπαυτοφώρῳ proprie *in ipso furto,*

furto, *deinde in graui delicto*, omninoque *in ipso facto*. H. l. *in ipso adulterio*. Sic in hist. Susann. v. 38. καὶ εἰδόντες συγγινομένους αὐτοὺς, vt recte Grotius obseruat, idem est quod deprehendimus eam ἐπαυτοφώρῳ i. e. *in ipso adulterio*.

v. 25. τὴν ἀρχὴν] i. e. *omnino, prorsus*; poni solet hic accusatiuus aduerbialiter, vt 1 Macc. XI, 22. εἰς Πτολεμαΐδα τὴν ταχίστην pro ἐν τάχει, Ios. X, 6. οἱ ὁ· ἀνάβηθι πρὸς ἡμᾶς τάχος, *cito ad nos adscende*, pro ἐν τάχει. Dan. VIII, 1. μετὰ τὴν ὀφθεῖσαν μοι τὴν ἀρχὴν, sed IX, 21. ὃν ἴδον ἐν τῇ ὁράσει ἐν τῇ ἀρχῇ. De hac autem huius vocis τὴν ἀρχὴν significatione vid. inprimis *Tailor*. ad Lys. p. 163. mai. et reliquos, quos laudauit *Fischerus* in Ind. Aeschin. s. v. ἀρχή.

CAPVT X.

v. 9. καὶ εἰσελεύσεται καὶ ἐξελεύσεται] est forma loquendi hebraica, atque vsurpatur de iis, qui in aliquo loco commorantur et conuersantur cum aliis Deut. XXXI, 2. לֹא־אוּכַל עוֹד לָצֵאת וְלָבוֹא, Act. I, 21. ἐν ᾧ (χρόνῳ) εἰσῆλθε καὶ ἐξῆλθεν ἐφ᾽ ἡμᾶς ὁ κύριος Ἰησοῦς, *quo inter nos versatus est*, *s. nobis interfuit dominus Iesus*. Tob. V, 23. vbi Anna Tobiae vxor de filio, ἢ οὐχὶ ἡ ῥάβδος τῆς χειρὸς ἡμῶν ἐστιν ἐν τῷ εἰσπορεύεσθαι αὐτὸν καὶ ἐκπορεύεσθαι ἐνώπιον ἡμῶν; *nonne est scipio manus nostrae*, praesidium, columenque nostrum, *si apud nos viuit, nobiscum versatur*. Itaque hoc Iohanneo loco potest quoque subintelligi ἐνώπιόν μου, vt sensus sit: *mecum versabitur*, *erit meus amicus*; vel potest repeti δι᾽ ἐμοῦ, *me auctore*, *adiutore recte munere suo fungetur*. Est enim h. l. de docto-

 ribus

ribus sermo. Priorem tamen interpretationem praefero.

v. 16. καὶ γενήσεται μία ποίμνη] *et erit societas hominum, quae vnam eandemque religionem profiteatur.* Sic 1 Macc. I, 43. πάσῃ τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ εἶναι πάντας λαὸν ἕνα, voluit rex Antiochus, vt omnes regni ipsius ciues vnam eandemque profiterentur religionem. Etenim εἷς de coniunctione arctiori, maxime consensu animorum, consiliorumque frequenter dicitur. 1 Ioh. V, 8. οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσὶ *illi tres consentiunt.*

v. 22. ἐγκαίνια] hebraice חֲנֻכָּה quod hebraicum nomen Alexandrini, graeco ἐγκαίνια exprimunt (Esr. VI, 16. 17.), notat in genere, festum in memoriam rei alicuius dedicatae, renouatae et repurgatae institutum. Suidas: ἑορτὴ καθ' ἣν ἐκαινουργήθη τι. H. l. intelligitur festum in memoriam dedicationis et repurgationis templi, ab Antiocho profanati, a Iuda Maccabaeo institutum, 1 Macc. IV, 59. vbi ἡμέραι ἐγκαινισμοῦ dicitur, et celebratum esse mense Cisleu, qui respondet fere nostro Decembri. Apud Iosephum Ant. XII, 7. 7. vocatur φῶτα *lumina*, quoniam per octo dies noctu lucernae in domibus in signum laetitiae accendebantur. Quinquies autem, vt historia docet, templum Iudaeorum dedicatum est, postquam absoluerat Salomo, quod dedicationis festum per quatuordecim dies celebratum est 1 Reg. VIII, 2.; deinde cum Hiskias rex a sordibus repurgasset, 2 Par. XXIX, 19.; tertio post captiuitatem babylonicam restaurato templo ex ruderibus Esr. VI, 16. sqq. quarto post repurgationem per Maccabaeos institutam, v. 1 Macc. l. c.; quinto simile quid absoluta exornatione templi per Herodem, tradit Iosephus Antiq. IV. c. ult. extr. H. l.

vt

vt iam obſeruauimus, intelligi debet quarta inauguratio templi, reliquarum enim nulla repetebatur annuatim. Confirmatur hoc etiam verbis verſus 22. vltimis καὶ χειμὼν ἦν. Hiems enim apud Iudaeos incipiebat medio menſe Cisleu, ſed Maccabaeorum ἐγκαίνια, quae etiam quotannis debebant repeti, inde a viceſimo quinto die menſis Cisleu per octo dies peragebantur.

Caput XI.

v. 11. κεκοίμηται] *mortuus eſt.* Sic שכב de dormientibus proprium, de mortuis legitur Ieſ. XIV, 8. 2 Chron. XIII, 23. vbi Alexandrini וישכב reddiderunt καὶ ἐκοιμήθη, quae eſt lectio exempli Complut. nam verba καὶ ἀπέθανε, quae in Cod. Vatic. et Alex. leguntur, haud dubie profecta ſunt a Symmacho. Eodem modo etiam latini ſcriptores de morte loqui ſolent. Virg. Aen. X, 745. *olli dura quies oculos et ferreus vrguet Somnus; in aeternam clauduntur lumina noctem*, ad quem locum vid. *Cerda*, et *Taubman.* ad Plaut. Amphitr. I, 1. 148. et Dougtaei Analecta T. II. p. 59. Hinc κοίμησις proprie *ſomnus*, de morte dicitur Sir. XLVI, 22. XLVIII, 14.

v. 44. ἡ ὄψις] nonniſi frons et oculi debent intelligi; veteres enim non integrum vultum mortui, ſed tantummodo frontem velo cingere ſolebant. Probat etiam hanc explicationem vſus loquendi. Suidas: ὄψεις — ὀφθαλμοὶ, ὁράσεις. Thomas M. p. 668. ὄψις καὶ ὁ ὀφθαλμὸς καὶ αὐτὴ ἡ θεωρία. Ita quoque in verſ. Graeca ὄψις, Iob. XIV, 1. Cantic. II, 14. Ier. III, 3. ומצח אשה זונה *et frons foeminae meretricis tibi eſt*, οἱ ὁ· ὄψις πόρνης ἐγένε-

τόπος apud Tob. XIV, 1. ὅτε ἀπώλεσε τὰς ὄψεις *cum oculorum vsum amisisset.*

CAPVT XVI.

v. 14. ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν] frequenter in literis sacris, vita, viuendi consuetudo hominum solet comparari cum *via*, quin et ipsa doctrina, quatenus ostendit et demonstrat, quomodo sit vita instituenda, vocari solet *via*, ὁδὸς, דֶּרֶךְ. Sic Iudith. V, 8. καὶ ἐξέβησαν ἐξ ὁδοῦ τῶν γονέων αὐτῶν, καὶ προσεκύνησαν τῷ Θεῷ *deserverunt religionem auitam et coluerunt Deum verum.* v. 18. ὅτε δὲ ἀπέστησαν ἀπὸ τῆς ὁδοῦ ἧς διέθετο αὐτοῖς, *cum vero deficerent a doctrina, quam iis praescripserat* Deus. Sir. II, 16. οἱ φοβούμενοι κύριον οὐκ ἀπειθήσουσι ῥημάτων αὐτοῦ, καὶ οἱ ἀγαπῶντες αὐτὸν συντηρήσουσι τὰς ὁδοὺς αὐτοῦ, *qui Deum colunt, non negligent ipsius praecepta, et qui eum amant, seruabunt leges ipsius.* Hinc ὁδηγεῖν proprie *viam monstrare, ducere*, deinde vero per metaphoram *edocere, instituere*, vt h. l. Act. VIII, 31. Ps. CXLIII, 10. Ps. XXIV, 5. ὁδήγησόν με ἐπὶ τὴν ἀλήθειάν σου, καὶ δίδαξόν με, vbi ὁδηγεῖν et διδάσκειν sunt synonyma. add. Ps. XLIV, 4. vbi in textu hebraico legitur הוֹרָה *docuit.*


CAPVT XVIII.

v. 20. τῷ κόσμῳ] κόσμος saepius notat *partem hominum*, vt h. l. Iudaeos, coll. XII, 19. I, 10. Matth. IV, 8. vbi per κόσμον intelligitur Palaestina. v. *Fischerus* Proluss. de vitiis Lex. N. T. p. 113. Sic Sap. XVII, 20. vbi per κόσμον intelligendos esse homines, ex eo patet, quoniam additur καὶ ἀνεμποδίστοις συνείχετο ἔργοις, *non impeditis continebatur operi-*

operibus. add. XVIII, 1. sed contextus docet ibi, per hos homines intelligendos esse Israelitas, qui opponantur Egyptiis.

Capvt XIX.

v. 27. εἰς τὰ ἴδια] *in sua* (scilicet οἰκήματα vel δώματα) h. e. *in aedes suas*, 3 Esdr. V, 47. et cum essent filii Israel ἐν τοῖς ἰδίοις *in aedibus suis* VI, 32. et sumatur lignum ἐκ τῶν ἰδίων αὐτοῦ *ex domo eius*, 3 Macc. VI, 27. εἰς τὰ ἴδια *in domum* cum pace emitte. *Henke.*



IN ACTA APOSTOLICA.

CAPVT I.

v. 1. Τῆς πεντεκοστῆς] ellipticam locutionem esse, neminem facile fugit. Quodnam autem vocabulum commode suppleri possit, ac debeat, discimus ex Erasm. Schmidii Obs. ad h. l. „dicendum videri posset, *inquit ille*, τὴν ἡμέραν τὴν πεντεκοστὴν, *cum compleretur dies quinquagesimus*, nempe a festo paschatis, sed sciendum primo, hic πεντεκοστῆς non adiectiue accipi, sed substantiue, et quasi nomen proprium, deinde non subintelllgi ἡμέρας. Absurdum enim esset dicere: compleri diem quinquagesimi diei, sed potius ἑορτῆς, nempe illius, quae a numero dierum a paschate πεντεκοστῆς nomen habuit.“ Hanc Schmidii interpretationem confirmat collatio cum Tob. II, 1. vbi sic legitur, ἐν τῇ πεντεκοστῇ ἑορτῇ. *Henke.* 2 Macc. XII, 32. μετὰ τὴν λεγομένην πεντεκοστὴν scl. ἑορτήν.

v. 23. ἔκδοτον] *deditum*, vt pro lubitu suo, cum Christo facerent, quaecunque Iudaeis libebat. Hanc esse vim vocis, docet collatio historiae Beli v. 26. vbi rex dicitur Belum Danieli dedisse ἔκδοτον, vt nimirum cum illo pro omni sua ageret voluntate. *Henke.* Verba sunt: ἔδωκε τὸν Βὴλ ἔκδοτον τῷ Δανιὴλ, vbi ἔκδοτον δοῦναι id. qd. simplex ἐκδιδόναι· Nimirum ἔκδοτον λαβεῖν τινα est, *accipere aliquem*, vel *proditum ab altero*, vel *vllo modo deprehensum*, *in*

suam

suam potestatem; oppositum ἔκδοτον δοῦναι vel παρέχειν *tradere aliquem in* alterius *potestatem*, vid. *Loesner.* et *Krebs.* ad h. l. et *Raphelius* atque *Kypkius* ad Act. II, 23.

v. 40. γενεᾶς σκολιᾶς] σκολιὸν proprie dicitur omnino *id, quod curuum, prauum, et obliquum est*, Sap. XIII, 13. ξύλον σκολιόν, et Sap. XVI, 5. δήγμασί τε σκολιῶν διεφθείροντο ὄφεων· *morsibus tortuosorum serpentum perimebantur*, vnde τὰ σκολιὰ et εὐθεῖα, sibi inuicem opponuntur Luc. III, 5. atque σκολιὸς inprimis ponitur de via curua et tortuosa Prov. II, 15. ὧν αἱ τρίβοι σκολιαὶ, *quorum semitae* flexuosae, vbi tamen improprie dicitur. Hesychius: σκολιά· οὐκ ὀρθά, ἐπικαμπῆ. Deinde metaphorice ita dicitur, *quicquid suo in genere est iniquum, peruersum*, Sap. I, 3. σκολιοὶ γὰρ λογισμοὶ χωρίζουσιν ἀπὸ θεοῦ; *cogitationes peruersae auellunt a Deo.* H. l. γενεὰ σκολιὰ notat *populum peruersum, homines vitiis indulgentes*, vt Deut XXXII, 5. γενεὰ σκολιὰ καὶ διεστραμμένη *populus prauus et peruersus.* In hebraico legitur עִקֵּשׁ.

CAPVT II.

v. 37. κατενύγησαν τῇ καρδίᾳ] *magna tristitia affecti sunt.* Vario significatu hoc verbum κατανύσσομαι in versione graeca et in libris apocryphis legitur. Nimirum prima huius verbi notio est *compungor*, hinc omnino, *acri dolore afficior*, Sir. XIV, 1. καὶ οὐ κατενύγη ἐν λύπῃ ἁμαρτιῶν· *quique non afficitur dolore propter peccata.* Iam cum dolor perturbet animum, κατανύσσομαι significat porro, *perturbor*, *de statu mentis deiicior*, et quidem vel *prae moerore*, Sir. XX, 21. καὶ ἐν τῇ ἀναπαύσει αὐτοῦ οὐ κατανυγήσεται *neque perturbatur ipsius animi tranquillitas*, vel etiam alia quauis de caussa,

prae admiratione, Hiſtor. Suſann. v. 11. καὶ ἦσαν ἀμφότεροι κατανενυγμένοι περὶ αὐτῆς, *ambo erant de ſtatu mentis deiecti prae admiratione (formoſitatis), prae amore illius*, vt adeo ſenſus formulae idem ſit qui verborum, quae leguntur Iudith. XII, 15. καὶ ἐξέστη ἡ καρδία Ὀλοφέρνου, *maxima admiratio formoſitatis puellae ſubiit Holophernis animum.* Cum vero is dolor ſoleat eſſe vehementiſſimus, cum quis ita de ſtatu mentis deiectus eſt, vt vox faucibus haereat, vt ſileat, factum eſt, vt verbum noſtrum poneretur quoque eo ſignificatu, vt notaret *ſilere.* Cf. Pſ. IV, 5. ἐπὶ ταῖς κοίταις ὑμῶν κατανύγητε, vbi Aquila habet ἡσυχάσατε. Heſychius: κατανύγητε· ἡσυχάσατε (quae gloſſa ſpectare videtur Pſ. l. l.) λυπήθητε. Item κατενύγησαν· ἐλυπήθησαν. — Caeterum Iudaeis non pure loquentibus νύσσειν eſt etiam idem quod νυστάζειν *dormire*, hinc κατάνυξις *ſopor* Ieſ. XXIX, 10. coll. Rom. XI, 8. ad quem locum vid. *Koppius.*

Caput III.

v. 7. αἱ βάσεις] *corroborabantur ipſius pedes et crura.* Βάσεις, *pedes.* Sap. XIII, 18. τὸ μηδὲ βάσει χρῆσθαι δυνάμενον, *qui non poteſt pedibus incedere.* Schol. ad Soph. Philoct. v. 692. βάσιν· πόδα. Ariſtoph. Theſmoph. v. 937. εὐκύκλου χορείας εὐφυῆ στῆσαι βάσιν, *orbicularis choreae concinnum conſtituere greſſum*; ad quem locum Scholiaſtes: εὐφυῆ στῆσαι βάσιν· ἀντὶ τοῦ εὐφυῶς, καὶ καλῶς, καὶ εὐρύθμως βαίνειν, *apte et recte et concinne incedere.*

v. 13. ἀπολύειν] proprie *ſoluere*, id quod connexum eſt, hinc *liberare*, 2 Macc. VI, 22. hinc *dimittere, aliquem diſcedere ſinere*, inde *abſoluere reum*, vt h. l. Suſann. v. 53. ἀπολύων τοὺς αἰτίους *abſoluens*

soluens reos. 2 Macc. IV, 47. καὶ τὸν μὲν τῆς ὅλης κακίας αἴτιον Μενέλαον ἀπέλυσε τῶν κατηγορημένων, τοῖς δὲ ταλαιπώροις, οἵτινες εἰ καὶ ἐπὶ Σκυθῶν ἔλεγον ἀπελύθησαν ἂν ἀκατάγνωστοι, τούτοις θάνατον ἐπέκρινε· *et Menelaum quidem omnis malitiae reum, criminibus absoluit, miseros autem, qui si vel apud Scythas caussam dixissent, tanquam innocentes absoluti essent, ad mortem condemnauit.* add. 1 Macc. X, 43.

v. 19. ἐξαλείφειν] proprie significat, *obliterare, litura inducta ea quae scripta sunt delere*; deinde in genere notat *delere*, Sir. XLVI, 20. ἐξαλεῖψαι ἀνομίαν λαοῦ pro λαὸν ἄνομον, *interiturum esse populum improbum.* add. XLVII, 22. *tollere*, *obliuioni tradere*, atque inter alia etiam dicitur de legibus, *antiquare legem.* v. Kypke ad Col. II, 14. H. l. eo sensu legitur, vt sit, *remittere peccata*, quo modo ab Hebraeis vsurpatur verbum מחה quod Alexandrini per ἐξαλείφειν expresserunt Ies. XLIII, 25. — Sic 2 Macc. XII, 42. εἰς ἱκετείαν ἐτράπησαν, ἀξιώσαντες τὸ γεγονὸς ἁμάρτημα τελείως ἐξαλειφθῆναι, *rogauerunt vt peccatum commissum obliuioni traderetur s. remitteretur.* 3 Macc. II, 19. ἀπάλειψον τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν, *dele, remitte peccata nostra.* Metaphoram h. l. plurimi desumtam esse suadent a creditoribus, qui debitorum nomina, vbi solverunt, litura inducta delent. Equidem tamen existimem respici hac formula opinionem illam Hebraeorum veterum, qui tribuebant Deo librum, in quem relata essent nomina et facta hominum omnia. v. nos *Messianische Weissagungen des A. T.* p. 72. coll. Apoc. III, 5.

v. 25. αἱ πατριαὶ τῆς γῆς] h. e. *omnes populi.* Πατριὰ proprie est *familia*, *tribus*, et respondet Hebraeorum nomini מִשְׁפָּחָה Hesychius: πατριά· φυλή.

φυλή. Tob. I, 9. ἔλαβον Ἄνναν γυναῖκα ἐκ τοῦ σπέρματος τῆς πατριᾶς ἡμῶν, *duxi in matrimonium Annam ex ſtirpe familiae ſ. cognationis meae.* Add. V, 13. vbi Φυλὴ *tribus*, et πατριὰ *familia*, copulantur. Deinde vero πατριὰ vt hebraicum מִשְׁפָּחָה Amoſ. III, 1. Ier. III, 14. Mich. II, 3. Nah. III, 5. notat, *gentem*, *populum* vt h. l. Atque eodem modo etiam vocabulum Φυλὴ *gentem*, *populum* indicat; Gen. XXVIII, 14. vbi textus habet מִשְׁפָּחָה et Sir. XVI, 5.

Capvt V.

v. 28. καὶ βούλεσθε ἐπαγαγεῖν κ. τ. λ.] rectiſſime Amiciſſimus *Loeſnerus* vertit: *vultiſne vt a vobis iſtius caedis poenae repetantur?* Nam ἐπάγεσθαι eſt verbum proprium de malis, periculis, quae *inducuntur*, Sir. IV, 17. φόβον δὲ καὶ δειλίαν ἐπάξει ἐπ᾽ αὐτὸν add. v. 21. XXIII, 16. καὶ τὸ τρίτον ἐπάξει ὀργὴν, *tertium inducet poenas.* Ita quoque Latini verbum *inducere* de malis calamitatibuſue frequentant. Plaut. Perſ. IV, 4. 91. *Non vides nolle eam loqui, ne ſuarum ſe* miſeriarum *in memoriam* inducas? Celſus VI, 6. 8. induci *inediam.* Sueton. Calig. 26. *populo famem* induxit, quae lectio praeſtat alteri *indixit.* Iul. Capitolin. de Marc. Anton. 29. ſuperinducere *nouercam liberis*, vbi vid. *Caſaubonus.*

Capvt VII.

v. 20. ἀστεῖος τῷ θεῷ] ἀστεῖος proprie eſt, *vrbanus*, qui in vrbe natus eſt, vel in ea viuit et commoratur, nam ἄστυ eſt *vrbs*, v. Steph. Byzant. ſub h. v. Etym. M. et Phauorin. ἀστεῖος — λέγεται κυρίως ὁ ἐν ἄστυ διατρίβων. Haec quoque apud Latinos eſt vis et poteſtas vocabuli *vrbanus*, Terent. Adelph. I, 1. 17. vbi

17. vbi *vita vrbana* opponitur *rusticae*. Ouid. ex Ponto I, 8. 29. *vitae* vrbanae *commoda*. Iam quoniam homines rustici et peregrini ab hominibus vrbanis non modo morum elegantia et lepore vincuntur, sed etiam vultus orisque venustate superari solent, factum est, vt ἀστεῖος adhiberetur non modo sensu eo, vt designaret, *eum in cuius factis aut dictis nihil odiosum, nihil inconditum, nihil turpe notandum est, moribus politis praeditum*, plane vt Lat. *vrbanus*, vid. Manutius ad Cic. ep. ad Diu. III, 7. p. 221. et III, 8. p. 225. ed. Richt., sed etiam notaret, *formosum*, vt h. l. Iudith. XI, 23. καὶ νῦν ἀστεῖα εἶ σὺ ἐν τῷ εἴδει σου· *tua forma est admodum praestans, excellens*. Suidas: ἀστεῖος εὐπρόσωπος, χαρίεις, καλός. Exod. II, 2. legitur כי טוב הוא vbi Symmachus habet καλὸς, sed septuaginta interpretes ἀστεῖος. Cf. etiam quae de hoc vocabulo docte disputauit *Fischerus* Proluss. de vitiis Lex. p. 233. sqq. — Additur autem hoc nostro loco, τῷ Θεῷ, atque adeo omnis formula vertenda est: *admodum, maxime formosus*. (Hom. Il. α, 131. θεοείκελος *admodum formosus*.) Nam Hebraei positiuo adiungere solent nomina Dei, vel angelorum, ad exprimendam rei vniuscuiusque magnitudinem et excellentiam. Ion. III, 3. Niniue nominatur עיר־גדולה לאלהים *urbs magna Deo* h. e. *maxima*. Add. Ies. XXVIII, 2. Sap. XVI, 20. τροφὴ ἀγγέλων, *cibus praestantissimus*. Apoc. XXI, 11. δόξα Θεοῦ *splendor summus*. Ioseph. Ant. II, 9. 7. Thermuthis ad Pharaonem patrem: ἀναθρεψαμένη παῖδα, μορφῇ τε θεῖον, καὶ φρονήματι γενναῖον *nutriui infantem forma diuinum et mente generosum*.

v. 24. καὶ ἐποίησεν ἐκδίκησιν τῷ καταπονουμένῳ] *ab iniuria vindicauit eum, qui totus opprimebatur*. Καταπονεῖσθαι *valde, penitus affligi, opprimi*. Habet

bet enim praepositio κατὰ in compositis frequenter hanc vim, vt notet *valde, admodum*. Vid. *Abresch.* Lectt. Aristaen. p. 278. ita 1 Cor. VII, 31. καταχρώμενοι. 2 Macc. VIII, 2. ἐπὶ τὸν ὑπὸ πάντων καταπονέμενον λαὸν, vt respiceret *populum ab omnibus maximopere vexatum*. Add. 3 Macc. II, 2. Cf. de hoc verbo καταπονεῖσθαι quae animaduertit *Wesseling.* ad Diod. Sic. XIII, 53. T. I. p. 585. Hesychius: καταπονέμενος, interpretatus est πειραζόμενος, quae interpretatio non exhaurire videtur vim verbi καταπονεῖσθαι Albertio ad 2 Petr. II, 7. qui adeo conferre mauult interpretamentum Scholiastae Soph. in Trachin. v. 328. ἀλλ' αἰὲν ὠδίνεσα· καταπονεμένη· sed vt notauit *Kuinius* in ind. ad Aelian, H. V. sub h. v. καταπονεῖσθαι vsurpatur proprie de morbo laborantibus, et cum πειράζεσθαι dicuntur ii, qui morbo inuaduntur, optime sane Hesychius καταπονεῖσθαι exponere potuit per πειράζεσθαι.

v. 51. σκληροτράχηλοι] ita dicitur *is, qui habet duram ceruicem*. Sed in omnibus fere linguis antiquis *contumacia* eorum, qui imperio aliorum, admonitionibus, cohortationibus, praeceptisque obedire nolunt, verbis a *duritie* depromtis, solet exprimi. Vid. *Fischerus* Prolusſ. D. V. L. p. 212. Hinc σκληροκαρδία *contumacia* Matth. XIX, 8. H. l. σκληροτράχηλος *contumax, flecti nescius, peruicax*, add. Sir. XVI, 11. vbi quoque extat σκληροτράχηλος eodem sensu. Ab Hebraeis eiusmodi homo vocatur קְשֵׁה עֹרֶף Exod. XXXII, 9. vbi Symmachus, Alexandrini, et Theodotion habent σκληροτράχηλος. Cf. etiam Hesiod. Εργ. v. 146. et ad illum locum *Tzetzes*. Cic. ep. ad Diu. VI, 13. *non fore in te Caesarem duriorem*, vbi opponitur *mitiorem*. Terent. Heaut.

Heaut. IV, 1. 51. *quam timui valde ne nunc Animo ita esses duro!*

v. 53. εἰς διαταγὰς ἀγγέλων] h. e. *praesentibus angelorum agminibus*, vt recte explicauit *Schleusnerus* V. C. in Lexico sub h. v. Nam διαταγαὶ notat *agmina disposita*, et est vox propria de copiis in aciem dispositis; sicut et verbum διατάσσειν (quod tamen etiam de legibus dicitur, *legem ferre*, *constituere*, vt Gal. III, 19.) de acie quae *instruitur*, frequenter legitur. Iudith. II, 16. καὶ διέταξεν αὐτοὺς ὃν τρόπον πολέμου πλῆθος συντάσσεται, *et instruxit eos, quemadmodum belli multitudo adornatur.* Cf. Iudith. I, 4. 1 Macc. VI, 35. Iam lex, quae h. l. dicitur lata fuisse praesentibus angelorum ordinibus, eadem Hebr. II, 2. patefacta per angelos (λόγος) λαληθεὶς δι᾽ ἀγγέλων, Gal. III, 19. *lata per angelos* fuisse dicitur διαταγεὶς δι᾽ ἀγγέλων. Etenim Apostolorum aetate, haec fuit inter Iudaeos opinio vsitata et recepta, legem, *per angelos*, tanquam *auctores secundarios* fuisse latam. Vetus Testamentum quidem hoc ministerium angelorum ignorat; sed Deut. XXXIII, 2. interpretes Graeci de suo addiderunt: (κύριος ἐκ Σινὰ ἥκει — haec praecedunt) ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ ἄγγελοι μετ᾽ αὐτοῦ· quoniam existimabant Iudaei antiquissimi, Deum in caussis solennibus, cum singularem suam declarat praesentiam, vti comitatu angelorum. Hoc ergo eum quoque vsum esse in monte Sinaitico, cum promulgaret legem. Vid. *Wetsten.* ad Gal. III, 16. Ven. *Tittmann.* Diss. de comparatione Christi cum angelis in ep. ad Hebr. Cap. I. p. 6. et *Heinrichs* V. Cl. Ep. ad Hebr. illustrata Prolegom. p. 23. Cf. inprimis Ioseph. Antiq. XV, 5. 3. vbi legitur: ἡμῶν δὲ τὰ κάλλιστα τῶν δογμάτων καὶ τὰ ὁσιώτατα δι᾽ ἀγγέλων παρὰ τοῦ θεοῦ μαθόντων. Itaque sequenti-

bus temporibus opinio illa eſt vberius exornata, et cum antiquiores Iudaei diſputarent tantummodo de *praeſentia et comitatu angelorum*, ſequiores Iudaei, diſputabant etiam de *miniſterio* angelorum in lege ferenda.

CAPVT VIII.

v. 22. ἐπίνοια] Verbum ἐπινοεῖν vſurpatur de iis inprimis, qui moliuntur et excogitant ea, ad quae excogitanda opus ſit ingenio et ſolertia, v. *Fiſcherus* ind. Palaephat. ſ. v. ἐπινοεῖ; deinde in genere de iis, qui moliuntur aliquid, qui conſilium aliquod capiunt; frequenter tamen apud ſcriptores exteros vt h. l. voc. ἐπίνοια ſumitur malo ſenſu, de iis qui machinantur atque moliuntur mala et iniuſta, vt adeo ἐπίνοια ſit *conſilium malum*. v. praeter *Krebſium* et *Loeſnerum* inprimis ad h. l. *Kypkius*. Exemplis ab iis allatis addi poſſunt Sir. XIV, 12. ἀρχὴ γὰρ πορνείας ἐπίνοια εἰδώλων, initium ſcortationis, excogitatio idolorum. XV, 4. κακότεχνος ἐπίνοια.

CAPVT X.

v. 4. εἰς μνημόσυνον ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ] μνημόσυνον reſpondet Latinorum *monumentum*, et ſynonymum eius eſt μνημεῖον. Ammonius in voc. μνημεῖα· μνημεῖα μὲν γὰρ ἔλεγον τὰ μνημόσυνα. Etymol. M. μνήμη, παρὰ τὸ μένω, μενήμη, καὶ συγκοπῇ μνήμη· ὅθεν μνημοσύνη, ἡ ὑπόμνησις, καὶ μνῆμα, τὸ μνημόσυνον. Iam vero quoniam monumenta ponuntur eum in finem, vt conſeruetur rei alicuius memoria, vel vt res quaedam in memoriam reuocetur, hinc Hebraei vocabulum זִכָּרוֹן quod proprie *monumentum* notat, Exod. XII, 14. XXVIII, 12. eo quoque adhibuerunt ſenſu, vt ſignificaret *recordationem*, *memoriam*, Exod. XVII, 14. (οἱ ό· εἰς μνημόσυνον) Mal. III, 16. (οἱ ό· βιβλίον μνημοσύνου);

νȢ); hinc ſcriptores Iudaici eodem modo vſi ſunt voce μνημόσυνον, vt nimirum indicaret, *recordationem, memoriam*, Sir. XLV, 1. ȣ̓ τὸ μνημόσυνον ἐν εὐλογίαις *vir beatae memoriae*. X, 18. κατέπαυσεν ἀπὸ γῆς τὸ μνημόσυνον αὐτῶν, *euanuit e terra eorum memoria*. XXXV, 6. καὶ τὸ μνημόσυνον αὐτῆς ȣ̓κ ἐπιλησθήσεται, *non euaneſcet eorum memoria*. add. 1 Macc. III, 7. 2 Macc. VI, 31. Hoc ſenſu legitur μνημόσυνον quoque h. l. *precum tuarum* liberalitatiſque tuae recordatus eſt Deus. Hoc eſt humano more dictum. Deus recordatur *precum*, cum eas exaudit. Recordatur *praeclare factorum*, cum ea praemiis remuneratur. Recordatur *malefactorum*, cum peccatores punit. Ergo h. l. flagitante orationis ſerie, ſenſus eſt: *Deus preces tuas exaudiet, et te ornabit ſuo fauore*. Hoc ſenſu extat etiam μνημόσυνον Matth. XXVI, 13. Cf. *Fiſcheri* Supplementor. Commentarii Vorſtii de Hebraiſm. N. T. Specimen III.

v. 10. γεύσασθαι] ſubintelligendum τῆς τροφῆς vel βρωμάτων *cibum capere, prandere*. Reſpondet Hebraeorum verbo טָעַם cui modo addunt vocabulum לֶחֶם vt 1 Sam. XIV, 25. vbi Alexandrini: ἐγεύσατο πᾶς ὁ λαὸς ἄρτȣ· modo טעם nude ponunt, quod ſaltem ita poſuerunt Iudaei recentiores. v. *Buxtorf*. Lex. Chald. ſub h. v. Etiam verbo אָכַל apud Hebraeos modo iungitur לחם modo ſimpliciter ponitur, Gen. XLIII, 25. 1 Regg. XIX, 5. 7. Heſychius: γεύεσθαι· πειράσαι, ἅψασθαι. 2 Macc. VI, 20. ὧν ȣ̓ θέμις γεύσασθαι, non licet haec comedere. Tob. VII, 11. ȣ̓ γεύομαι ȣ̓δὲν ὧδε. Sir. XXXVI, 19. φάρυγξ γεύεται βρώματα θήρας. Cf. *Fiſcherus* Proluſſ. de vitiis Lex. N. T. p. 304. ſq.

v. 28. ἀθέμιτόν ἐστι] *non decet*. Ita ἀθέμιτος, 2 Macc. VII, 1. ἀπὸ τῶν ἀθεμίτων ὑείων κρεῶν

 ἐφάπ-

ἐφάπτεσθαι, *carnem suillam vetitam comedere.* X, 34. καὶ λόγους ἀθεμίτους προΐοντο, *sermones, quos non decebat, profanos proferebant,* pro quo 2 Macc. XII, 14. legitur, λαλεῖν ἃ μὴ θέμις, pro quo Paulus 1 Tim. V, 13. scripsit: λαλεῖν τὰ μὴ δέοντα· Phauorinus: ἀθέμιτον· ἄδικον, ἄνομον, πονηρὸν, ἄναρχον, ἀσεβῆ, ἢ νόμοις οὐ χρώμενον.

v. 35. ὁ ἐργαζόμενος δικαιοσύνην] *qui virtutis cuiuscunque est studiosus.* Scilicet Hebraei verbum עשה quod saepius etiam ita ponitur, vt notet, *operam dare alicui rei, indulgere ei, tractare, exercere eam,* modo exprimunt verbo graeco ποιεῖν, Ruth. I, 8. ποιῆσαι ἔλεος· Ps. XXXVI, 28. ποίησον ἀγαθὸν· modo verbo ἐργάζεσθαι, Ps. XIV, 2. Ita quoque Sir. XXVII, 9. ἐργάζεσθαι ἀλήθειαν, *veritatis esse studiosum,* pro quo VII, 21. extat ἐργάζεσθαι ἐν ἀληθείᾳ, plane eodem sensu. LI, 3. ἐργάζεσθαι ψεῦδος, *mendaciis indulgere.* Sicvti porro Hebraei vocabulo צדקה eo sensu vtuntur, vt indicet *virtutem,* atque hoc coniungunt cum verbo עשה, quam in rem est locus classicus Ies. LVI, 1. (vbi in priori membro ועשׂו צדקה *et exercete virtutem*; nam in posteriori additur שׁמר ידו מעשׂות כל־רע *qui abstinet a facinoribus quibuscunque prauis*) atque interpretes graeci, formulam ipsam modo vertunt, ἐργάζεσθαι δικαιοσύνην, Ps. XIV, 2. modo ποιεῖν δικαιοσύνην, Ps. CV, 3.: ita quoque scriptores N. T. cum *de virtutis studio* loquuntur, adhibent *modo* formulam, ποιεῖν δικαιοσύνην, *exercere virtutem*, Ioh. III, 7. vbi ei v. 8. opponitur ποιεῖν τὴν ἁμαρτίαν, *modo* formulam ἐργάζεσθαι δικαιοσύνην, vt h. l. cuius oppositum extat Matth. VII, 23. ἐργάζεσθαι τὴν ἀνομίαν. — Suidas: δικαιοσύνη· ἡ τελεία ἀρετή.

v. 38. vid. notata ad Hebr. I, 9.

CAPVT

CAPVT XII.

v. 19. *ἀπαχθῆναι*] *duci ad ſupplicium.* Ita *τὸ ἀπάγειν* in vſu forenſi ſaepius accipitur. Id quod confirmat collatio cum Additam. Eſth. XII, 3. *καὶ ἐξήτασεν ὁ βασιλεὺς τοὺς δύο εὐνούχους, καὶ ὁμολογήσαντες ἀπήχθησαν, et examinauit rex duos eunuchos, et quum confeſſi eſſent, abducti ſunt,* nempe ad ſupplicium. *Henke.* Alia exempla ſuppeditabit *Kypkius* Obſſ. in N. T. T. II. p. 61. Ita quoque Latini vſurpant verbum *duci*, de quo conſulatur *Cortius* ad Plin. Epiſt. X, 97. 3.

v. 23. *ἐπάταξεν αὐτὸν ἄγγελος κυρίου*] haec verba non niſi hunc ſenſum habent: *morbo repentino et atroci correptus eſt.* Solebant enim Hebraei omnia, quorum cauſſae laterent, ad auctores inuiſibiles referre, ipſaſque etiam naturae effectiones repentinas, inuſitatas nominare angelos Dei, Pſ. LXXVIII, 48. 49. Exod. XII, 23. etc. Similis locus eſt 1 Macc. IX, 55. 56. *ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ ἐπλήγη Ἄλκιμος, καὶ ἐνεποδίσθη τὰ ἔργα αὐτοῦ, καὶ ἀπεφράγη τὸ ϛόμα αὐτοῦ, καὶ παρελύθη, καὶ οὐκ ἐδύνατο ἔτι λαλῆσαι λόγον, καὶ ἐντείλασθαι περὶ τοῦ οἴκου αὐτοῦ· καὶ ἀπέθανεν Ἄλκιμος ἐν τῷ καιρῷ μετὰ βασάνου μεγάλης: illo tempore Alcimus percuſſus eſt* (nempe a Deo vel angelo), *vt adeo impediretur ipſius conſilium, et nerui ipſius diſſoluti ſunt, vt non amplius loqui, neque teſtamentum facere poſſet, et inter graues cruciatus illo tempore obiit.* Ioſephus Antiq. XIX, 8. 2. tradit Herodem atrocibus ventris doloribus fuiſſe correptum; verba eius ſunt: *ἄθρουν δὲ αὐτῷ τῆς κοιλίας προσέφυσεν ἄλγημα, μετὰ σφοδρότητος ἀρξάμενον· ἀναθεωρῶν οὖν πρὸς τοὺς φίλους· ὁ Θεὸς ὑμῖν ἐγὼ, φησὶν, ἤδη καταϛρέφειν ἐπιτάττομαι τὸν βίον, παραχρῆμα τῆς εἱμαρμένης τὰς ἄρτι μου κατεψευσμένας φωνὰς ἐλεγχούσης ὁ κληθεὶς ἀθά-*

νατος ὑφ᾽ ὑμῶν, ἤδη θανῶν ἀπάγομαι· ταῦτα λέγων ἐπιτάσαι τῆς ὀδύνης κατεπονεῖτο. — συνεχῶς δὲ ἐφ᾽ ἡμέρας πέντε τῷ τῆς γαςρὸς ἀλγήματι διεργασθεὶς τὸν βίον κατέςρεψεν: *acceſſerunt autem ventris cruciatus etiam a principio vehementiſſimi. Conuerſis itaque ad amicos oculis, ecce, inquit, Deus ego veſter cogor nunc e vita diſcedere, fatali neceſſitate mox arguente veſtrum mendacium: et quem immortalem ſalutaſtis, ad mortem rapior. Haec cum diceret augeſcente interim vi doloris torquebatur. — Tandem continuis per quinque dies ventris doloribus confectus, vitam finiuit.* Lucas h. l. cruciatuum cauſſam afferre videtur; dicit enim Herodem factum eſſe σκωληκόβρωτον, h. e. a vermibus eum fuiſſe conſumtum. Quae tamen verba non nimis premenda ſunt, ſed vel ita interpretanda, vt ſenſus eorum ſit: *tam graues erant eius dolores, ac ſi a vermibus eroderetur,* vel, *putredine eſt conſumtus*, cum Alexandrini interpretes vocabulum hebraicum רָקָב *putredo* expreſſerint per σκώληξ *vermis*, Prou. XXII, 4. σὴς, *vermis, tinea*, Prov. XIV, 32.

Caput XIII.

v. 13. οἱ περὶ τὸν Παῦλον] i. e. totus comitatus Pauli, ſiue, comites eius. Ita hymn. trium puer. v. 15. ἅμα τοῖς περὶ τὸν Ἀζαρίαν· 2 Macc. I, 33. 36. οἱ περὶ τὸν Νεεμίαν. *Henke.*

v. 18. ἐτροποφόρησεν αὐτοὺς ἐν ἐρήμῳ] *mores eorum prauos ac peruerſos*, per quadraginta annos, *in deſerto tuli.* Sed libri bene multi h. l. pro ἐτροποφόρησεν legunt ἐτροφοφόρησεν· eadem lectionis varietas deprehenditur etiam 2 Macc. VII, 28. verba ſunt: καὶ ἐκθρέψασάν σε, καὶ ἀγαγοῦσαν εἰς τὴν ἡλικίαν ταύτην, καὶ τροφοφορήσασαν· in edit. Argentoratenſi, quae exhibet lectiones

nes editionis Aldinae, perperam legitur τροφορήσασάν σε· et Deut. I, 31. in versione Alexandrina legitur: καὶ ἐν τῇ ἐρήμῳ ταύτῃ, ἣν εἴδετε ὡς ἐτροφοφόρησέ σε κύριος ὁ Θεός σου, ὡσεὶ τροφοφορήσαι ἄνθρωπος τὸν υἱὸν αὐτοῦ· haec est lectio Codicis Alexandrini, sed Codex Vaticanus habet ibi ἐτροποφόρησε et τροποφορῆσαι, v. Prolegom. *Grabii* c. 3. §. 8. in edit. *Breitinger.* et *Bengel.* in App. Crit. et Gnomone. In textu Hebraico legitur נשׂא. Vtrumque verbum, tam τροποφορεῖν, quam τροφοφορεῖν (*H. Stephani* Thesaurus caret vtroque; tantum in Appendice ad *Stephani* Thesaurum, quae *Scottum* auctorem habet, legitur vocabulum τροφοφόρος et laudatur Eustath. in Homer. Odyss. ά. p. 34. 35.) agnouerunt et defenderunt, locis iis quos laudauimus, interpretes plures. Ac lectionem quidem ἐτροφοφόρησεν, Act. l. c. praeter alios, defendunt *Matthaei* et *Pfaffius* in Diss. de Var. lect. N. T. p. 230. contra *Wolfius* in Curis, pluribus probat ἐτροποφόρησεν, quam lectionem etiam in textum recepit *Griesbachius*, Vir Eruditissimus. Deuteronomii autem loco citato, verbum τροποφορεῖν legit *Origenes*, cuius verba reperiuntur in Catena *Ghislerii* ad Ier. XVIII. p. 473. ἐτροποφόρησέ σε κύριος ὁ Θεός σου, τοῦτ᾽ ἔστι τοὺς τρόπους σου ἐφόρησεν, ὡς εἴ τις τροποφορήσῃ ἄνθρωπος κατὰ τὸ παράδειγμα τοῦτο, εἴρηκα, τὸν υἱὸν αὐτοῦ· addatur *Procopius*, a *Suicero* in Thes. Eccles. s. v. τροποφορέω laudatus, qui ad Mosis locum haec notauit: ὁ Σύμμαχος ἐβάστασέ φησι· κυρίως δὲ σημαίνει τὸ τοὺς παῖδας δυσκολαίνοντας τρέπειν καὶ μεταφέρειν διὰ συμψελλισμῶν καὶ συγκαταβάσεως· οὕτω γὰρ ὁ Θεὸς τὴν ἀσθένειαν αὐτῶν οἰκειούμενος, κατὰ μικρὸν ἀνῆγεν αὐτοὺς ἐπὶ τὰ τελειώτερα· h. e. *Symmachus*, tulit, *inquit.* Τροποφορεῖν *autem*

proprie significat pueros morose affectos vna cum iis balbutiendo et se ipsis accommodando circumducere et sedare. Ita quippe Deus infirmitatem eorum sibi vindicando, eos paulatim ad perfectiora prouexit. Legitur etiam τροποφορεῖν in Constitutionibus Apostolicis VII, 36. Scilicet τροποφορεῖν, quo verbo vsus est Cicero in epp. ad Attic. XIII, 19. (verba eius sunt: „nihil est quod ego malim. In hoc τὸν τῦφον μου πρὸς θεῶν τροποφόρησον·" h. e. *per Deos te oro, fastum meum perfer, tolera.*) proprie significat, *moribus alicuius obsequi, iis sese accommodare, quid velit ex gestibus votibus augurari*, (v. *Procopius* supra laudatus) quod Terentius in Hecyra III, 5. 28. dixit: *mores tolerare* et Aristophanes in Ranis v. 1480. τοῖς τρόποις ὑπηρετεῖν, quam formulam Scholiastes ibi expressit verbo τροποφορεῖν· Iam quoniam hoc inprimis facere solent parentes, idque amore erga infantes commoti, adhibetur hoc verbum inprimis de amore parentali, ita, vt in genere notet etiam, *benignitate maxima, amore summo aliquem prosequi, diligentissimam alicuius curam habere*, quo sensu legitur 2 Macc. l. c. et fortasse etiam Deut. l. c. his enim in locis, vt et Act. loco, me quidem iudice, retinendum est verbum τροποφορεῖν, cum τροφοφορεῖν sit potius e compendio literarum ortum. Nam primo, tralatitium est a librariis φ̄ et π̄ saepius esse inter se permutata; v. interpp. ad Hesychium s. v. ἐτροφοφόρησεν· deinde nullus idonei scriptoris locus potest proferri, vbi τροφοφορεῖν legatur, cum contra verbo τροποφορεῖν Cicero, alii, vsi sint, vt adeo non possit opponi nobis locus *Macarii* Hom. XLVI. quem *Hammondus* ad Act. l. c. laudauit, vbi de matre infantis, ἀναλαμβάνει καὶ περιθάλπει, καὶ τροφοφορεῖ ἐν πολλῇ· nam et h. l. legendum est τροποφορεῖ· nec obstant sententiae nostrae antiqui

antiqui interpretes, qui verterunt *aluit, nutriuit*, vt Syrus, Aethiops, Arabs, (Vulgatus habet: *mores eorum sustinuit*, legit ergo ἐτροποφόρησεν) Act. l. c. exinde enim non potest probari eos expressisse lectionem ἐτροφοφόρησε (quod esset proprie, si etymologiam verbi spectamus, *in vlnis gestauit*), sed hoc tantum exinde potest demonstrari, eos sensum, sed non satis recte, expressisse. Denique Hesychius quidem habet glossam hanc: ἐτροφοφόρησεν· ἔθρεψεν· sed legendum est ἐτροποφόρησεν. vid. interpp. et τρέφειν non est ei, *nutrire, alere*, sed potius *educare*, sicuti τροφή saepe est, *disciplina, educatio*. v. *Fischerus* V. C. ad Plat. Phaed. c. 30. Amicissimus *Loesnerus* ad 1 Timoth. IV, 6. inprimisque etiam *Lennep* ad Phalaridis Epistt. p. 350.

Capvt XIV.

v. 15. ἡμεῖς ὁμοιοπαθεῖς ἐσμεν ὑμῖν ἄνθρωποι] i. e. *homines caduci et fragiles, non minus quam vos*. Haec enim notio inest h. l. et Iac. V, 17. voci ὁμοιοπαθής, quae notat eum, qui similibus affectionibus et imbecillitatibus est obnoxius. Non autem laudandus erat ab interpretibus et Lexicographis ad h. l. locus Sapientiae VII, 3. ἐπὶ τὴν ὁμοιοπαθῆ κατέπεσον γῆν· ibi enim ὁμοιοπαθής verti debet *idem*, vt adeo omnis formula posita sit pro ἐπὶ τὴν αὐτὴν κ. γ. *in eandem terram deueni*.

v. 27. ὅσα ἐποίησεν ὁ Θεὸς μετ᾽ αὐτῶν] pro αὐτοῖς, vt Tob. III, 6. νῦν κατὰ τὸ ἀρεστόν ἐνώπιόν σου ποίησον μετ᾽ ἐμοῦ, pro ἐμοὶ, VIII, 16. κατὰ τὸ πολὺ ἔλεός σου ἐποίησας μεθ᾽ ἡμῶν, pro ἡμῖν, add. XII, 6. Iudith. VIII, 26. Caussa huius vsus loquendi est, quoniam Hebraei verbo עָשׂוֹת iungere solent praepositionem עִם Gen. XXVI, 29. XXIV,

 14. vid.

14. vid. *Vorstius* Phil. Sacr. c. 36. *Leusden.* de Hebraism. N. T. p. 128. ibique *Fischerus.*

Capvt XVII.

v. 11. ἦσαν εὐγενέστεροι] Aristoteles Rhetor. II, c. 15. hoc inter εὐγενὴς et γενναῖος constituit discrimen, ἐστὶ δὲ εὐγενὲς μὲν, κατὰ τὴν τοῦ γένους ἀρετήν· γενναῖον δὲ, κατὰ τὸ μὴ ἐξίστασθαι ἐκ τῆς φύσεως· εὐγενὴς *dicitur aliquis ob virtutem familiae,* γενναῖος *autem is est, qui a natura non degenerat, siue aberrat.* Et sane εὐγενὴς proprie dicitur is, *qui illustri loco natus est,* vnde *vir magnus, diues,* et *potens.* Sed hanc eandem notionem proprie obtinet quoque γενναῖος. vid. nos ad Eurip. Alcest. v. 164. Deinde vero εὐγενὴς ad animum moresque transfertur et notat, *generosum, nobilem animo,* animo et moribus bene constitutum, 2 Macc. X, 13. μήτε εὐγενῆ ἐξουσίαν ἔχων, h. e. *Grotio* interprete, *neque potestate nobili functus esset nobiliter.*

v. 20. ξενίζοντα] ξένος indicat eum, qui peregrinans ab alio excipitur, omninoque *peregrinum,* vel eum, qui hominem alius ciuitatis ad se venientem comiter excipit; sed quoniam peregrinis res singulares cuiusque ciuitatis nouae et inusitatae videri, suique admirationem iniicere solent, τὰ ξένα tropice dicuntur etiam *mira, inusitata, noua, ignota.* Suidas: ξένα· θαυμαστά. Sic quoque verbum ξενίζειν, non modo notat *hospitem, peregrinum esse,* Suidas: ἐξένιζεν· ἀντὶ τοῦ ξένος ἦν· *hospitio excipere aliquem,* Etym. M. ξενίζειν — καὶ τὸ ὑποδέχεσθαι ξένον· sed etiam tropice ponitur de iis, qui *peregrina, noua, et inusitata proferunt, sapiunt,* vt h. l. *nouam,* (ξενίζοντα διδαχὴν v. 19. καινὴ διδαχὴ) *doctrinam tradis.* 2 Macc. IX, 6. ξενίζουσαι συμφοραὶ *noui, inusitati cruciatus.* ξένος *inusitatus,* Sap. XVI,

XVI, 16. XIX, 5. Copiosius de vsu vocabuli ξένος disputauit peculiari libello *Verpoortennius*, cuius opuscula collecta edidit *Fischerus* Lipsiae 1779. 8.

v. 30. ὑπεριδὼν ὁ Θεὸς] princeps verbi ὑπεριδεῖν significatio est, *non animaduertere*, *veberſehen*, *praetermittere aliquid*, hoc cum facere solent ii, qui rem aliquam incurie et negligenter tractant, indicat quoque *negligere*, *non curare*. Tob. IV, 3. καὶ μὴ ὑπερείδῃς τὴν μητέρα σου, *noli negligere matrem tuam*, *curam illius habe*. Sir. XXXV, 14. οὐ μὴ ὑπερίδῃ ἱκετείαν ὀρφανοῦ, *non negligit preces orphani*. add. XXXVIII, 17. Iam cum negligantur plerumque, ii qui contemnuntur, ὑπεριδεῖν significat etiam, *contemnere*, Suidas: ὑπεριδεῖν· τὸ καταφρονῆσαι. Hesychius: ὑπερείδει· καταφρονεῖ. — Sed ὑπεριδεῖν non tantum vsurpatur de iis, qui negligentes et incurii aliquid non vident, verum etiam de iis, qui aliquid de industria videre nolunt, qui ita se gerunt, ac si aliquid non animaduertant, hinc ὑπεριδεῖν denotat inter alia, *permittere*, *ferre*, *pati*, vt παρορᾷν. vid. *Fischer*. Ind. Palaeph. sub v. παρορᾷν, et sic h. l. *tempora ignorantiae concessit*, *permisit Deus*.

CAPVT XX.

v. 9. ὕπνος βαθὺς] βαθὺ dicitur per metaphoram, omne *id*, *quod suo in genere magnum et summum est*, Sap. XVI, 11. βαθεῖα λήθη, *profunda obliuio*. Sir. XXII, 7. ἐξεγείρων καθεύδοντα ἐκ βαθέως ὕπνου, *excitans dormientem e somno profundo*. Virgil. Aen. VIII, 27. *pecudumque genus sopor altus habebat*. Cf. nos ad Cydon. de contemn. morte c. XVI, 4. 7. et *Wesselingius* ad Diod. Sic. T. II. p. 552.

v. 35. ἀντιλαμβάνεσθαι] vid. ad Luc. I, 54.

CAPVT XXIII.

v. 1. πεπολίτευμαι τῷ Θεῷ] h. e. *Dei praeceptis conuenienter vixi*, vt Phil. I, 27. idem quod Rom. VI, 11. ζῆν τῷ Θεῷ· nam πολιτεύεσθαι non tantum significat, *rempublicam administrare*, quae est propria verbi significatio, et, *in republica vt ciuem decet versari*, sed etiam simpliciter *viuere*, *se gerere*, vt h. l. v. *Wetstenius* ad Phil. l. c. *Loesnerus* et *Krebsius* ad h. l. 3 Macc. III, 4. καὶ τῷ τούτου νόμῳ πολιτευόμενοι, *secundum eius leges vitam instituentes*, 2 Macc. VI, 1. καὶ τοῖς τοῦ Θεοῦ νόμοις μὴ πολιτεύεσθαι, *Dei praeceptis non conuenienter viuere*. Hesychius: πολιτεύεται· πράττει, ἀναστρέφεται.

v. 25. γρ. ἐπισ. περιέχουσαν τὸν τύπον τοῦτον] *conscripsit epistolam, cuius hoc erat argumentum*. Nam τύπος est h. l. *argumentum*, vt 3 Macc. III, 30. de epistola Ptolomaei, cuius etiam argumentum ibi affertur: καὶ ὁ μὲν τῆς ἐπιστολῆς τύπος οὕτως ἐγέγραπτο, *et hoc erat epistolae argumentum*. Verbum autem περιέχειν, *continere*, est de scriptis epistolisque, earumque argumentis solenne, 1 Macc. XV, 2. καὶ ἦσαν αἱ ἐπιστολαὶ περιέχουσαι τὸν τρόπον τοῦτον, *epistolae* (Antiochi) *erat hoc argumentum*, (legendum enim est haud dubie τὸν τύπον τοῦτον· Scripserat nimirum negligens librarius τὸν τόπον τ. pro τὸν τύπον, quae quidem vocabula multoties sunt a librariis inter se permutata. v. H. *Stephani* schediasmata varia I, 14. p. 40. *Bernard.* ad Thom. Mag. p. 464. *Morus* et *Toupius* ad Longin. de Subl. c. 13. *Alberti* Pericul. Crit. p. 44.; alius porro ex τόπος fecit τρόπος et sic haec lectio τρόπον περιέχειν, quae non conuenit, in textum irrepsit.) 2 Macc. XI, 16. 22. ἡ δὲ τοῦ βασιλέως ἐπιστολὴ περιεῖχεν

οὕτως,

ἔτος, *regis epistolae hoc erat argumentum.* 2 Macc. IX, 18. ἔγραψε ἐπιστολὴν — περιέχουσαν ἔτος.

Capvt XXIV.

v. 5. τὸν ἄνδρα τοῦτον λοιμὸν] *hunc hominem scelestum, pestiferum.* λοιμὸς, *pestis*, vt Latinorum *pestis*, (Terent. Adelph. II, 1. 35. Leno sum, fateor, pernicies communis adolescentium, periurus, *pestis*) de homine scelesto adhiberi, demonstrarunt interpp. ad Thomam Magistrum p. 588. Hoc sensu legitur etiam 1 Macc. X, 61. XV, 3. 21. In versione Alexandrina respondet hebr. בְּלִיַּעַל 1 Sam. II, 12. οἱ υἱοὶ Ἡλὶ υἱοὶ λοιμοὶ, sed 2 Sam. XVI, 7. hi iidem interpretes בליעל vertunt ἀνὴρ ὁ παράνομος, et 1 Regg. XXX, 22. vbi οἱ ό· habent ἀνὴρ λοιμὸς, apud Symmachum legitur παράνομος, e quo satis euidenter patet, etiam ex vsu loquendi interpretum Graecorum V. T. λοιμὸς idem esse quod παράνομος, *scelestus, improbus.*

v. 25. τὸ νῦν ἔχον] *vt nunc se res habet*, ellipsis τοῦ κατὰ, quod dicitur, secundum id quod nunc se habet, h. e. rebus ita stantibus, in praesenti, Tob. VII, 11. ἀλλὰ τὸ νῦν ἔχον ἡδέως γίνου. *Henke.*

Capvt XXVII.

v. 15. μὴ δυναμένου ἀντοφθαλμεῖν] ἀντοφθαλμεῖν, verbum Polybio inprimis solenne (v. I, 68. II, 24. III, 14. 64. IV, 32. 34.) Suida interprete, est, ἀντιβλέπειν ἐξ ἐναντίας, *ex aduerso, contra intueri*, ὀρθοῖς ὄμμασιν ὁρᾷν, (Soph. Oed. Tyr. v. 1385. et nos ad h. l.) *rectis oculis adspicere.* (Suet. Aug. c. 16. *tollere contra oculos* et *obsistere contra* coniunxit Lucret. I, 67.) Hoc facere solent audaces et imperterriti, qui alteri sese opponunt, eique resistunt, hinc significat ἀντοφθαλμεῖν, *resistere,* *obniti*,

obniti, vt h. l. Sir. XIX, 5. ὁ δὲ ἀντοφθαλμῶν ἡδοναῖς, ϛεφανοῖ τὴν ζωὴν αὐτȣ͂, i. e. *qui voluptatibus resistit, suam vitam coronat s. ornat.* add. Sap. XII, 14. Ergo ἀντοφθαλμεῖν respondet verbo ἀντιβλέπειν, *contra tueri*, quod etiam notat *reniti*, *resistere*, vt exemplis ex Iosepho demonstrauit *Krebsius* ad h. l.

Capvt XXVIII.

v. 10. πολλαῖς τιμαῖς ἐτίμησαν ἡμᾶς] *nos magnis beneficiis ornarunt.* τιμὴ, h. l. munus, domum, stipendium. Sic apud Latinos legitur *honos*, Cic. Epp. ad Fam. XVI, 9. *honos habendus* medico, ad quem locum *Manutius*: De pecunia intellige, non de honore. Vnde *honorarium*, praemium honoris caussa datum. — Virgil. Aen. I, 253. *hic pietatis* honos. Ita et τιμᾶν pro *praemiis ornare*, Sir. XXXVIII, 1. τίμα ἰατρὸν πρὸς τὰς χρείας τιμαῖς αὐτȣ͂· etiam Latini *honorare*, pro beneficiis, praemiis ornare. Quintil. V, 10. *honorarit an deceperit*, i. e. praemiis afficere voluerit, an ludificari, v. *Burmann.* p. 432. Sueton. Aug. c. 45. nullique Graeco certamini interfuit, quo non, pro merito certantium quemque *honorarit* i. e. praemio affecerit, interprete Ernestio ad illum locum. Cf. et nos ad Matth. XV, 4.

IN



IN EPISTOLAM AD ROMANOS.

Caput I.

v. 14. Vide notata ad Coloss. III, 11.

v. 30. ψιθυριστὰς] *susurrones.* Ψιθυρίζειν proprie indicat, *in aurem insusurrare,* Hesychius enim ψιθυρίζειν interpretatur per, εἰς τὸ οὖς ἠρέμα διαλέγεσθαι. Hinc ψιθυρίζειν et ψιθύρισμα de *quocunque leniori strepitu,* vt de strepitu foliorum (Theocrit. Id. I, 2.), de auium minuritionibus (v. *Casaubon.* Lectt. Theocritt. c. 2.) etc. dicuntur. Ψιθυριστὴς ergo, proprie est, *insusurrator.* Deinde ψιθυρίζειν malo sensu ponitur de iis, qui alterum vel praesentem, Suidas: ψιθυρισμὸς· ἡ τῶν παρόντων κακολογία· vel etiam absentem calumniantur, Suidas: ψιθυρίζει· διαβάλλει, et ψιθυριστὴς est *calumniator clandestinus,* vt h. l. nec non ψιθυρισμὸς, *calumniatio clandestina,* 2 Cor. XII, 20. — Sir. V. 14. ψίθυρον καλεῖσθαι et γλώσσῃ ἐνεδρεύειν, *lingua insidiari,* i. e. calumniari, tanquam formulae idem valentes coniunguntur. Add. Sir. XXI, 28. μολύνει τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν ὁ ψιθυρίζων, *contaminat animum suum calumniator.*

ἐφευρετὰς κακῶν] *scelerum inuentores,* (Virg. Aen. II, 161.) κακότεχνοι, (Sapient. I, 4.) κακίας εὑρεταὶ) 2 Macc. VII, 31. vbi Antiochus Epiphanes dicitur πάσης κακίας εὑρετὴς γενόμενος εἰς τοὺς Ἑβραίους.)

Ἑβραίους.) qui non tantum vſitata ſcelera exercent, ſed etiam noua, hactenus inuſitata committunt, interprete Suida, qui habet: οἱ ἐπὶ τοῖς παλαιοῖς κακοῖς ἕτερα καινοτομοῦντες κακά.

Capvt II.

v. 29. περιτομὴ καρδίας] circumciſio externa, erat ſymbolum puritatis animi, exſtirpationis cupiditatum peruerſarum, v. Philo de migr. Abrah. T. I. p. 450. quem locum attulit *Koppius*, quem vide. Hinc transfertur quoque a ſcriptoribus N. T. vocabulum περιτομὴ ad animum, et adhibetur per metaphoram de iis, qui a vitiis abſtinent, cupiditates prauas coercent et reprimunt. Hinc ipſi chriſtiani, quatenus mentem animumque ope religionis chriſtianae in melius mutarunt, dicuntur Paulo περιτομή, Phil. III, 3. Neque vero etiam inuſitata eſt haec loquendi ratio prophetis V. T. vt Ier. IV, 4. vbi Alexandrini habent, περιτέμνεσθε τὴν σκληροκαρδίαν ὑμῶν, pro quo Symmachus, ſenſum exprimens, vertit: ἀφέλεσθε πονηρίας τῶν καρδιῶν ὑμῶν· Similis locutio etiam legitur in Orat. Manaſſ. v. 11. — Iam noſtro quoque loco nomen περιτομὴ vſurpatum legitur ſenſu metaphorico, nam additur καρδίας. Hoc autem ipſum vocabulum περιτομὴ non tantum refero ad vocem καρδίας, ſed etiam ad verba ἐν πνεύματι, et, γράμματι. Eſt nimirum Apoſtolus in eo, vt demonſtret, ſolam internam, animi probitatem et puritatem, Iudaeo et cuilibet alii homini conciliare fauorem diuinum. Hinc v. 29. ſcribit: qui quoad animum (ἐν κρυπτῷ, quod opponitur τῷ φανερῷ v. 28.) eſt Iudaeus, ita ſe gerit, vt decet Iudaeum pium, tantis a Deo beneficiis ornatum, qui probitati et pietati ſtudet (περιτομὴ καρδίας), qui eſt circumciſus quoad legem moralem,

ralem, non quoad legem ceremonialem, qui ea facit, quae praecipit ea pars legis, quae morum praecepta continet, licet non faciat, quae fieri iubet ea legis pars, quae de ceremoniis agit, is Deo probatur. — Scilicet opponuntur ſibi inuicem πνεῦμα et γράμμα h. l. vt v. 27. ſibi opponuntur γράμμα (cui iungitur περιτομὴ, res externa quam praecipit lex Moſaica ſcripta, quae de ceremoniis agit, quae non poteſt nominari πνεῦμα) et νόμος. Ergo γράμμα eſt legis pars, quae ceremonias tractat, et νόμος, cuius ſynonymum πνεῦμα, eſt quae de vita inſtituenda agit, quae vocatur πνεῦμα vtpote perfectior, praeſtantior. Conſtat enim, πνεῦμα in libris N. T. habere notionem perfectionis, excellentiae, roboris, virium etc. coll. Gal. II, 2. 3.

Capvt III.

v. 16. σύντριμμα] proprie *contritio*, *confractio*, 2) *interitus*, *calamitas*, *miſeria* h. l. et eſt eius ſynonymum ταλαιπωρία, vnde etiam Heſychius σύντριμμα explicat, ταλαιπωρία, μοχθηρία. Apud Ieſaiam LIX, 7. reſpondet in verſione Alexandrina vocabulo שֹׁד cui ibi iungitur שֶׁבֶר. Sir. XL, 11. θάνατος καὶ αἷμα, καὶ ἔρις, καὶ ῥομφαία, ἐπαγωγαί, λιμὸς, καὶ σύντριμμα, καὶ μάστιξ, I Macc. II, 7. ἰδεῖν τὸ σύντριμμα τοῦ λαοῦ μου, *vt videam populi mei conditionem calamitoſam;* add. Sap. III, 3. Itaque h. l. σύντριμμα κ. τ. λ. vertimus: *non niſi hoc agunt, vt alios miſeros reddant.*

Capvt V.

v. 7. τολμᾷ ἀποθανεῖν] *in animum induxerit mori.* Nam τολμᾶν non ſemper audaciae notionem inuoluit, ſed notat haud raro, *in animum inducere, velle, poſſe,* vt 3 Macc. III, 15. τολμήσαντες

 ἐξαλ-

ἐξαλλοιῶσαι, *volentes eos mutare*, i. e. ad Graecos mores traducere. Ita Latini vtuntur verbo *ſuſtinere*, Ouid. epiſt. V, 32. ſuſtinet *Oenonem deſeruiſſe Paris*. Sueton. Cai. c. 30. *hanc vt crudeliſſimam caedem et defleuit edicto, et eos qui ſpectare* ſuſtinuiſſent, *exſecratus eſt*. Senec. de benefic. IV, 15. *non* ſuſtineo *eum deſerere, cui vitam dedi*.

v. 12. ὥσπερ δι' ἑνὸς κ. τ. λ.] coll. Sir. XXV, 33. ἀπὸ γυναικὸς ἀρχὴ ἁμαρτίας, καὶ δι' αὐτὴν ἀποθνήσκομεν πάντες, Eua prima peccauit, illius peccatum eſt prima origo communis moriendi neceſſitatis, quoniam illa peccauit, nos morimur omnes.

Capvt VII.

v. 14. πεπραμένος ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν] *ſum peccati mancipium* i. e. peccata committo. Loquitur Apoſtolus de homine non-chriſtiano, non de ſe ipſo, vt recte monuit contra *Koppium*, *Roſenmüllerus*, (v. eum et *Koppium* ad v. 9.). Sunt autem haec ipſa verba explicatio vocabuli σαρκικὸς, quod cum opponatur h. l. τῷ πνευματικῷ, notat hominem ad peccandum procliuem, vitioſitati deditum, qui adeo eſt πεπραμένος ὑ. τ. ἁ., δοῦλος τῆς ἁμαρτίας, etenim reſpondet formula noſtra vocibus δουλεύειν τῇ ἁμαρτίᾳ, Rom. VI, 6. ὑφ' ἁμαρτίαν εἶναι, Rom. III, 9. Legitur quoque formula ipſa 1 Macc. I, 15. καὶ ἐπράθησαν τοῦ ποιῆσαι τὸ πονηρὸν, *tradiderunt ſe peccatis*, praeceſſit ibi: ἀπέστησαν ἀπὸ διαθήκης ἁγίας, *defecerunt a religione ſancta*. Add. Iudith. VII, 25. πέπρακεν ἡμᾶς ὁ Θεὸς εἰς τὰς χεῖρας αὐτῶν, *eorum violentiae nos addixit, tradidit*.

v. 15. ὃ γὰρ κατεργάζομαι, οὐ γινώσκω] *quod enim facio, non probo*. Γινώσκειν, *probare, amare*. Sap. IV, 1. κρείσσων ἀτεκνία μετὰ ἀρετῆς — ὅτι καὶ

καὶ παρὰ θεῷ γινώσκεται καὶ παρὰ ἀνθρώποις, *Deo enim et hominibus probatur virtus.* Ita quoque γινώσκειν, Matth. VII, 23. εἰδέναι, XXV, 12. et hebraicum ידע Hoſ. VIII, 4. vid. *Gatackerus* de Stilo N. T. c. 4. p. 33. — Verbi γινώσκειν ſynonymum eſt h. l. verbum θέλειν, (vt adeo haec duo membra vnam eandemque rem mutatis verbis exprimant) notat, *probare aliquid, delectari aliqua re,* Matth. XXVII, 43. ex Hebraiſmo, cum Hebraei חָפֵץ eo ſenſu, vt ſit, *probare, amare,* non ſolum ſequente particula ב ponere ſoleant, ita vt ſequatur ablatiuus rei et perſonae, ſed etiam vt ſequatur omiſſa illa particula, accuſatiuus rei vel perſonae. vid. *Fiſcherus* ad Leuſdenii libell. de Hebraiſmis N. T. p. 153.

CAPVT IX.

v. 4. νομοθεσία] h. e. *lex,* rectiſſime Syrus interpres, ܢܡܘܣܐ, ſic 2 Macc. VI, 23. τῆς ἁγίας καὶ θεοκτίστου νομοθεσίας, *ſanctae et a Deo conditae legis.* Diod. Sic. T. I. p. 106. ed. Weſſ. ἀλλὰ καὶ περὶ τὸ μάχιμον ἔθνος νομοθεσίαν συστήσασθαι· *ſed et militari Egyptiorum ordini leges concinnauit.* Cf. etiam *Kypkius* Obſſ. Sacr. T. II. p. 173.

v. 21. ἢ οὐκ ἔχει ἐξουσίαν ὁ κεραμεὺς κ. τ. λ.] Loci ſimiles Sirac. XXXVI, (al. XXXIII,) 13. ὡς πηλὸς κεραμέως ἐν χειρὶ αὐτοῦ — οὕτως ἄνθρωποι ἐν χειρὶ τοῦ ποιήσαντος αὐτοὺς, *ſicuti lutum eſt ſub poteſtate figuli, ita homines ſunt ſub poteſtate creatoris ipſorum.* Sap. XV, 7. καὶ γὰρ κεραμεὺς ἁπαλὴν γῆν θλίβων ἐπίμοχθον (fortaſſe leg. ἐπὶ μόχθου), πλάσσει πρὸς ὑπηρεσίαν, ἡμῶν ἓν ἕκαστον· ἀλλ' ἐκ τοῦ αὐτοῦ πηλοῦ ἀνεπλάσατο τά τε τῶν καθαρῶν ἔργων δοῦλα σκεύη, τά τε ἐναντία πάντα ὁμοίως·

τέτων δὲ ἑκατέρε τίς ἑκάςε ἐςὶν ἡ χρῆσις, κριτὴς ὁ πηλεργὸς, *figulus mollem terram comprimens sedulo, fingit in vsum nostrum quaelibet vasa; sed ex eadem argilla finxit et mundis operibus inseruientia vasa, et in contrarios vsus; cuinam vero vsui, vnumquodque inseruiat, constituit figulus.* Add. 2 Tim. II, 21.

Caput X.

v. 15. ὡς ὡραῖοι οἱ πόδες τῶν εὐαγγελιζομένων εἰρήνην] pro, ὡς ὡραῖοι οἱ εὐαγγελιζόμενοι εἰρ. Solent enim Hebraei corporis partes, pro homine ipso ponere. Sed ὡραῖος proprie dicitur de fructibus, qui ad maturitatem peruenerunt, vt adeo ὡραῖος sit, *maturus*, Hesychius: ὡραῖος· ἀκμάζων τῇ ἡλικίᾳ, — hinc ὡραῖοι καρποὶ, *fructus tempestiui* (Cic. Offic. II, 4.) *maturi*, sunt, auctore Graeuio in Lectionibus Hesiodeis c. 2. omnes fructus e terra prouenientes, qui in mensis secundis apponuntur, pro anni et temporis ratione, vt verni flores, aestiua mala, pira, pepones, autumnales vuae, et quae hieme possunt haberi. Cf. etiam *Perizon.* ad Ael. H. V. I, 31. Iam cum fructus, qui ad maturitatem peruenerunt, tunc pulcherrimam formam referant, ὡραῖος est etiam, *pulcher*, *formosus*, Suidas: ὡραῖος· εὔμορφος· Iudith. VIII, 7. ὡραία τῇ ὄψει, *formosa*, add. Sir. XLIII, 11. et Xen. Mem. I, 3. 14. vbi iunguntur ὡραῖον et καλὸν, vt εὐπρόσωπος et καλὸς ap. Aristoph. Plut. 977. vbi Schol. Doruillian. εὐπρόσωπον· ὡραῖον· ap. Lucian. Catapl. p. 433. To. I. εὐπρόσωπος καὶ καλός· v. *Fischerus* ind. Palaeph. f. v. ὡραῖα· hinc denique ὡραῖος, *gratus*, *suauis*, *exoptatus*; sic h. l. *quam accepti sunt pacis et salutis praecones!* Sir. XV, 19. ὡραῖος αἶνος, *laus iucunda.*

CAPVT XI.

v. 2. ὡς ἐντυγχάνει τῷ Θεῷ] *eum accusasse Israelitas, conquestum esse de iis.* Ἐντυγχάνειν nimirum proprie valet, *occurrere alicui, incidere in aliquem* (Ael. H. V. XIII, 1.), deinde, *apparere coram aliquo, adire aliquem,* Act. XXV, 24. Hesychius: ἐντυγχάνει· προσέρχεται. Hinc adire aliquem vel vt tibi ab eo aliquid expetas, vnde, *preces facere,* Sapient. VIII, 21. ἐνέτυχον τῷ κυρίῳ, καὶ ἐδεήθην αὐτοῦ· *precibus Deum adii.* XVI, 28. καὶ πρὸς ἀνατολὴν φωτὸς ἐντυγχάνειν σοι (δεῖ), *ad ortum solis precari fas est,* vel, vt depreceris pro aliquo, vnde ἐντυγχάνειν ὑπὲρ τινὸς *deprecari,* Rom. VIII, 27. 28. vbi ὑπερεντυγχάνειν et ἐντυγχάνειν sunt synonyma, cum saepe decomposita habeant vim compositorum, legitur ibi: *doctrina Christi* (II, 23.) *deprecatur pro christianis,* (nam Hebraei amant res mutare in personas, coll. Iac. V, 4. 5. Gen. IV, 10. Hebr. XII, 24.) ἀλαλήτοις στεναγμοῖς, *precibus impropriis* (vt 1 Petr. II, 4. λογικὸν γάλα); v. *Noesseltus* in Opuscc. p. 85. sqq. vel, vt omnino caussam alicuius agas quouis modo, vnde *caussam agere alicuius* (2 Macc. XV, 12. 14.) Rom. VIII, 34. Hebr. VII, 25. vbi de Christo haec formula adhibetur, et omnino vim habet verbi σώζειν *auctorem et datorem esse felicitatis,* v. *Morus* Opuscc. theol. p. 298. sqq. vel, vt alterum accuses, vnde ἐντυγχάνειν sequente praepositione κατὰ significat, *criminari, accusare aliquem, conqueri de aliquo* h. l. 1 Macc. VIII, 32. ἐὰν οὖν ἔτι ἐντύχωσι κατὰ σοῦ· X, 61. καὶ ἐπισυνήχθησαν πρὸς αὐτὸν ἄνδρες λοιμοὶ ἐξ Ἰσραὴλ, ἄνδρες παράνομοι ἐντυχεῖν κατ᾽ αὐτοῦ· *et conuenerunt eum quidam homines improbi, qui a lege defecerant, vt eum accusarent.* v. 63. καὶ κηρύξατε τοῦ μηδένα ἐντυγχάνειν κατ᾽ αὐτοῦ, *ne quisquam*

eum accuset, XI, 25. καὶ ἐτύγχανον κατ᾽ αὐτȢ τινες ἄνομοι τῆς ἐκ τȢ ἔθνȢς. add. Apoc. XII, 10. Quin imo 1 Macc. X, 64. οἱ ἐντυγχάνοντες, omissa praepositione κατὰ, sunt, *accusatores*, *delatores*.

v. 4. τῇ Βαὰλ] Articulus foeminini, vocabulum quoddam subintelligendum esse innuit. Sunt qui supplent, τῇ στήλῃ *statuae*, coll. LXX, 2 Regg. X, 26. 28. alii, εἰκόνει *imagini*, ex 2 Regg. XI, 28. At *Lightfoot* Horr. Hebrr. ad Rom. XI, 4. δαμάλει, *vitulae*, siue *iuuencae*. Non enim quod putant alii, Baal, idolum Tyrium, quod Ahabus introduxerat, 1 Regg. XVI, 31. respici, sed de cultu vitulorum, sermonem esse, quem Ierobeamus inuexerat, 1 Regg. XII, 28. et quod sequitur 1 Regg. XIX, 18. *atque omne os*, *quod non dedit osculum*, confert *Lightfoot* cum Hos. XIII, 2. Vocari autem vitulos Ierobeami δαμάλεις, probat, tum ex LXX, 1 Regg. XII, 28. tum ex Iosepho Antiq. Iudd. L. VIII, c. 3. et vice plurium, inquit, satis in τῇ Βαὰλ, commentatur ipse liber Tobiae I, 5. ibi enim omnes quae a Deo defecerant tribus, immolasse dicuntur, τῇ Βαὰλ τῇ δαμάλει· Dubium, quod lectori suborietur, hoc est, quod cultus vitulorum, non vocetur cultus Baaliticus. Ad quod quidem respondet *Lightfoot*, *Baal* fuisse generale nomen idolorum cf. Hos. II, 19. immo ipsius Dei, sed ob turpissimum abusum reiectum, coll. Hos. II, 18. 19. Quid? si diceremus, oraculum illud 1 Regg. XIX, 18. ab Apostolo in N. T. repetitum Rom. XI, 4. esse tanta in latitudine accipiendum, vt cultus ille Baaliticus, per Ahabum introductus, respiciatur quidem praecipue, caetera vero deastra non excludantur. *Henke*. In edit. Complut. quidem Tob. l. c. legitur τῇ Βαὰλ τῇ δυνάμει, i. e. Baali Deo לְאֵל sed vt iam recte obseruauit *Bendtsen* Spec. exercitt. critt. in V. T. libros apocryphos

cryphos p. 90. haud dubie Complutenses coniectando emendarunt textum.

v. 9. γενηθήτω ἡ τράπεζα κ. τ. λ.] sunt verba Psalmi LXIX, 23. 24. quae Apostolus memoriter laudauit, et in suam rem transtulit. Ac τράπεζα quidem, h. l. est, *cibus*, vt Act. XVI, 34. Sir. VI, 10. Pollux. VI, 12. τραπέζας δ' ἐκάλουν καὶ τὰ σιτία ἐπ' αὐτῶν τιθέμενα· Sic Lat. *mensa* Virg. Aen. VII, 176. Deinde vocabula παγὶς, *laqueus*, θήρα *rete* (Ps. XXXIX, 4. vbi in hebraico textu legitur רֶשֶׁת idem quod θήραμα Eccl. VII, 27. et θήρευμα Leu. XVII, 13.) et σκάνδαλον *offensaculum* (vid. ad Matth. XIII, 41.) sunt mere synonyma, et indicant omnino *perniciem*, maxime tamen *insperatam*, et *subitaneam*, nam Luc. XXI, 34. 35. haec coniunguntur, αἰφνίδιος ἐφ' ὑμᾶς ἐπιστῇ ἡ ἡμέρα ἐκείνη· ὡς παγὶς γὰρ ἐπελεύσεται. 1 Macc. I, 35. καὶ ἐγένοντο εἰς μεγάλην παγίδα, *et facti sunt in laqueum magnum* i. e. magnam Iudaeis intulerunt perniciem, ita enim vv. sqq. explicantur verba, vbi legitur, eos multos Iudaeorum per insidias trucidasse etc. V, 4. οἳ ἦσαν τῷ λαῷ εἰς παγίδα καὶ εἰς σκάνδαλον, explicatur addito hoc, ἐν τῷ ἐνεδρεύειν αὐτοὺς ἐν ταῖς ὁδοῖς. Hoc nostro loco haec sententia proponitur; inter laeta conuiuia, eos laetos et hilares opprimat repentina calamitas.

v. 22. χρηστότητα καὶ ἀποτομίαν Θεοῦ] haec duo vocabula sibi inuicem h. l. opponuntur. Et ἀποτομία est proprie *abscissio*, atque vt verbum ἀποτέμνειν *rescindere*, inprimis frequentatur de medicis, qui immedicabile vulnus rescindunt. Xen. Mem. I, 2. 54. — καὶ τοῖς ἰατροῖς παρέχουσι, μετὰ πόνων τε καὶ ἀλγηδόνων καὶ ἀποτέμνειν καὶ ἀποκαίειν, scilicet σῶμα. Inde illustrandus locus Sir. XXV, 26. εἰ μὴ πορεύεται (γυνὴ πονηρὰ) κατὰ χεῖρά

σε, ἀπὸ τῶν σαρκῶν σε ἀπότεμε αὐτήν· *si tibi non vult obtemperare, auellas te ab illa.* Deinde vero verba ἀποτέμνειν, ἀπότομος, ἀποτόμως, ἀποτομία notant omnino: *seuere agere, seuerus, seuere, seueritas.* Plutarch. T. V. p. 45. ed. Reisk. δεῖ τὲς πατέρας τὴν τῶν ἐπιτιμημάτων ἀποτομίαν τῇ πραότητι μιγνύναι, *debent parentes reprehensionum seueritati lenitatem admiscere.* Sap. V, 20. ἀπότομος ὀργὴ *ira seuera.* VI, 5. κρίσις ἀπότομος, iudicium seuerum, strenuum. XI, 10. ἀπότομος βασιλεὺς· XVIII, 15. ἀπότομος πολεμιστὴς. Hesychius: ἀποτόμως· σκληρῶς ἀπαραιτήτως· Ergo χρηστότης, cum ἀποτομία sit *seueritas*, ex opposito, indicat *benignitatem, lenitatem*, et ἐπιμένειν τῇ χρηστότητι est, ita agere, te gerere, viuere, vt dignus sis hac lenitate, benignitate, coll. VI, 1.

CAPVT XII.

v. 20. ψώμιζε αὐτὸν] ψωμίζειν proprie valet, *cibum in os indere.* Plutarch. To. VIII. p. 675. ed. Reisk. αἱ τὰ βρέφη ψωμίζεσαι τροφοί· Porphyr. de Abstinent. III, 23. de columbis, ψωμίζεσι τὰ νεόττια· In versione Alexandrina respondere hebraico הֶאֱכִיל Num. XI, 4. 18. Deut. VIII, 3. 16. Prov. XXV, 21. *vescendum, cibum praebere,* omninoque *nutrire* vt h. l. Hesychius: ψωμιεῖ· τρέφει· Sapient. XVI, 20. ἀγγέλων τροφὴν ἐψώμισας τὸν λαόν σε, cibo *praestantissimo aluisti populum tuum;* Sir. XXIX, 26. XV, 3. ψωμιεῖ αὐτὸν ἄρτον συνέσεως, *sapientia vescendum praebet cibum mentis.*

CAPVT XIV.

v. 14. ὅτι ἐδὲν κοινὸν δι' ἑαυτε] *nullum cibum per se esse illicitum.* Nimirum κοινὸν in lingua Hellenista-

leniſtarum vocatur, quicquid eſt *impurum*, *profanum*, adeoque *illicitum*. Act. X, 15. ἃ ὁ θεὸς ἐκαθάρισε, σὺ μὴ κοίνε· ergo τῷ κοινῷ opponitur τὸ καθαρὸν, quod ſaepe commutatur cum ἅγιος et ἁγνὸς· nam Alexandrini interpretes, hebraicum טהור modo vertunt καθαρὸς Gen. VII, 2. modo ἅγιος Leu. X, 14. Sic quoque Prou. XV, 26. Symm. habet ἁγναὶ, ſed Theodot. καθαραί. Hinc ergo κοινὸν idem eſt, quod ἀκάθαρτον (Act. XI, 8. coniunguntur κοινὸν et ἀκάθαρτον), quo vocabulo recte Chryſoſtomus ad h. l. noſtrum, explicat τὸ, κοινόν. 1 Macc. I, 47. κτήνη κοινὰ *iumenta impura*: 62. καὶ ὠχυρώθησαν ἐν ἑαυτοῖς τοῦ μὴ φαγεῖν κοινὰ, *impura et illicita*. Heſychius: κοινὸν, βδελυκτὸν, ἀκάθαρτον. — Iudaei autem ſe ipſos vocabant *ſanctos*, ἁγίους, ea omnia quae ad ipſos pertinerent, ἅγια, καθαρὰ, hinc etiam cibi, quibus veſci licitum erat, vocabantur καθαροὶ, gentes vero reliquas, earum regiones (Amoſ. VII, 17.) omninoque omnia, quae ad has pertinerent, ciborum genera etiam, quibus gentes vtebantur, a quibus tamen abſtinere debebant Iudaei, illis dicebantur κοινὰ, profana, impura.

v. 19. τὰ τῆς εἰρήνης διώκωμεν] *ſimus concordiae acriter ſtudioſi*, τὰ τῆς εἰρήνης pro τὴν εἰρήνην, *concordiam*, ſicuti et τὰ τῆς οἰκοδομῆς dictum eſt, pro τὴν οἰκοδομήν; Graeci enim articulum cum ſubſtantiui genitiuo ponere ſolent, pro ipſo ſubſtantiuo, vt demonſtrauit *Fiſcherus* Animaduerſſ. ad Weller. p. 114., ſed οἰκοδομὴ εἰς ἀλλήλους eſt, *communis vtilitas*, ὠφέλεια, vt explicuit Theodoretus, idem quod συμφέρον 1 Cor. X, 33. Verbum autem διώκειν, quod proprie notat, *perſequi*, vt Latinorum *perſequi* (Cic. Fin. I, 21. *artem perſequi*) tropice adhibetur de iis, qui ſunt *rei alicuius ſtudioſi*, cum is, qui alterum perſequitur, ſummo ſtudio elaboret in

eo, vt eum capiat, ſic h. l. ſumitur, et Sir. XXVII, 8. ἐὰν διώκεις τὸ δίκαιον· Heſychius: διώκε· ζήλε. Suidas: διώκειν· ἀντὶ τȣ̃ ἐπιθυμεῖν καὶ ὀρέγεσθαι.

Capvt XV.

v. 16. vide notata ad Phil. II, 17.


v. 19. πεπληρωκέναι τὸ εὐαγγέλιον] πληρȣ̃ν inter alia ſignificat: *diſſerere, tradere, docere*, vt Col. I, 15. et h. l. 1 Macc. IV, 19. ἔτι πληρȣ̃ντος Ἰȣ́δα ταῦτα, (alii legunt λαλȣ̃ντος, quod tamen eſt apertum gloſſema) Ioſephus autem Ant. XII, 7, 4. de eadem re loquens, ſcripſit: ἔτι δὲ αὐτȣ̃ διαλεγομένȣ ταῦτα. Quod vero originem huius ſignificationis verbi πληρȣ̃ν attinet; *Michaelis* Introduct. in N. T. T. I. p. 129. exiſtimat, in textu Hebraico libri Maccabaeorum extitiſſe verbum מִלֵּל, ſed interpretem graecum, vel illud commiſcuiſſe cum verbo מלא, vel etiam hoc ipſum verbum מלא in ſuo exemplo legiſſe, et expreſſiſſe verbo πληρȣ̃ν, atque ita hunc huius verbi ſignificatum apud Helleniſtas in vſum veniſſe. Longe tamen probabilius *Vitringa* Obſſ. Sacrr. L. I. p. 200. *Koppius* ad h. l. et *Schleuſnerus* in Lex. ſub h. v. ſtatuunt, verbum πληρȣ̃ν ita, vt ſignificet *docere, tradere, diſſerere*, reſpondere hebraico vero גמר, quod proprie indicat, *finire, conſummare, implere*, deinde vero, maxime apud Chaldaeos, *docere*; conf. Deut. VI, 7. vbi Chaldaeus paraphraſtes habet תגמרון לבנך *docebis filios tuos*, vnde etiam גְּמָרָה doctrina Talmudica.

Capvt XVI.

v. 20. συντρίψει τὸν Σατανᾶν κ. τ. λ.] in eo maximam partem interpretes conſentiunt, per Σατανᾶν intelligendas eſſe perſecutiones et calamitates ob

ob religionem christianam tolerandas, quae in libris N. T. ad Satanam, qui vbique tanquam aduersarius religionis Christi proponitur, tanquam auctorem solent referri. Existimant vero etiam nonnulli interpretes, Apostolum respexisse hac formula ad locum Gen. III, 15. quod tamen mihi secus videtur; potius existimem imaginem esse h. l. depromtam a consuetudine veterum, qui victorum ceruicibus, pedem imponere solebant; vnde etiam similis formula ὑποτάσσειν ὑπὸ τὰς πόδας, *subiicere pedibus* scl. hostes, cuius sensus est, vincere hostes. Itaque συντρίβειν videtur idem esse quod ὑποτάσσειν. Apostolus autem, qui exprimere volebat notionem hanc: *ita subiiciat vobis Deus Satanan, vt non amplius possit vobis nocere*, liberet vos ab omnibus calamitatibus, vsurpauit verbum fortius, συντρίβειν, *frangere*. Eodem sensu extat verbum συντρίβειν 1 Macc. III, 22. καὶ αὐτὸς (ὁ Θεὸς) συντρίψει αὐτοὺς (scl. hostes) πρὸ προσώπου ἡμῶν. Sic quoque Latini, *frangere* hostem, Liuius IX, 19. Athenis, in ciuitate *fracta* Macedonum armis, IX, 18.

IN



IN EPISTOLAM I. AD CORINTHIOS.

Caput II.

v. 2. Οὐ γὰρ ἔκρινα] *noluì enim.* Verbum κρίνειν praeter alia, significat quoque, *constituere, sibi proponere, velle,* Iudith. II, 3. καὶ αὐτοὶ ἔκριναν ὀλοθρεῦσαι πᾶσαν σάρκα, *constituerunt omnes interficere.* Add. 3 Macc. I, 7. vnde κρίσις *voluntas,* Tob. VII, 12. κόμιζε αὐτὴν ἀπὸ τοῦ νῦν κατὰ κρίσιν· *iam eam ducas secundum voluntatem, sicuti vis.*

v. 10. ἐρευνᾷ] ἐρευνᾷν h. l. *perspicere, intelligere,* vt Iudith. VIII, 13. ὅτι βάθος καρδίας ἀνθρώπου οὐ εὑρήσετε, καὶ λόγους τῆς διανοίας αὐτοῦ οὐ λήψεσθε, καὶ πῶς τὸν θεὸν ὃς ἐποίησε τὰ πάντα ταῦτα ἐρευνήσετε, καὶ τὸν νοῦν αὐτοῦ ἐπιγνώσεσθε, καὶ τὸν λογισμὸν αὐτοῦ κατανοήσετε; *cum secreta animi humani non intelligatis, nec mentis cogitationes percipiatis, quomodo tandem Deum, qui haec omnia creauit, perspiciatis, mentem ipsius capiatis, cogitationes eius intelligatis?* confirmatur haec verbi significatio v. 11. vbi legitur οὐδεὶς οἶδεν, εἰ μὴ τὸ πνεῦμα· Respondet verbo hebraico חפש Prou. XX, 27. ὃς ἐρευνᾷ ταμιεῖα κοιλίας: coll. Apoc. II, 23. Rom. VIII, 27.

Caput

CAPVT IV.

v. 5. ὁ ἔπαινος γενήσεται ἑκάστῳ] nomen ἔπαινος significare *laudem, celebrationem*, in vulgus notum est. Cum vero recte praeclareque facta soleant laudari, celebrari, et haec ipsa celebratio, haec laus, spectari possit tanquam praemium; ἔπαινος et ἐπαινεῖν adhibentur etiam sensu latiori *de praemio quocunque virtutis, recteque factorum*, vt 1 Petr. II, 14. vti opponuntur sibi inuicem ἐκδίκησις, *poena*, et ἔπαινος, *praemium*, ἐπαινεῖν *praemiis afficere* Xen. Oecon. IX, 14. Sicuti vero ἀνταπόδομα, ἀνταπόδοσις, μισθὸς (2 Macc. VIII, 23.) et apud Lat. voc. *praemium*, in vtramque partem adhibentur, ita et nomen ἔπαινος, atque adeo in genere indicat *remunerationem*, vt h. l. Iam qui praemiis ornatur, is felix est, saltem felix esse censetur: hinc ἔπαινος est etiam *felicitas*, hoc significatu acciperem ἔπαινος Sap. XV, 19. ἐκπέφευγε δὲ καὶ τὸν τοῦ Θεοῦ ἔπαινον, καὶ τὴν εὐλογίαν αὐτοῦ· *effugit, non consecuta est, Dei laudem et benedictionem*, sermo est de serpentibus, et respicitur locus Gen. III, 14. Ergo, quae sortem infelicissimam a Deo consecuta est, quam exsecratus est Deus, exsecrantur homines. Respondet ἔπαινος voc. הָדָר hoc vero idem Alexandrini exprimunt etiam per δόξα Ps. CXLIX, 9. vbi הדר est, *felicitas*. Denique per metonymiam effectus pro caussa, ἔπαινος est etiam *res ipsa quae laudem meretur, laudabilis*, vt Phil. IV, 8. Ita vna notio ex altera deriuanda.

v. 13. περίψημα] ait Apostolus de se, et aliis fidelibus, inprimis verbi diuini praeconibus, quod sint omnium περίψημα, vocabulum, quia est inter ἅπαξ λεγόμενα N. T. varie exponitur, Vulgatus retinet, *peripsema*. Erasm. Schmid. *omnium sordes detersae* s. circum abrasae, a περιψᾶν *circum quaque detergere*. Sebast. Schmidius, *omnium quisquiliae*;

alii

alii *piaculum*, *hostia piacularis.* Ita Syrus: כופרא ex more gentilium, qui in pestilentia, fame, et similibus calamitatibus publicis, vel sceleratum aliquem, vel pauperiorem ad ciuitatem expiandam, vel regionem, immolabant, vt in ipsum omnes suas iras exhaurirent, additis his verbis, περίψημα ἡμῶν γίνε, *esto nostra salus et redemtio.* Iul. Caes. B. G. VI, 16. Lactant. Opp. T. I. c. 21. §. 14. Liu. de M. Curtio L. VII. c. 6. [v. Meurs. Gr. Fer. in voc. θαργήλια] tales enim a gentilibus tunc habiti fuere christiani, malorum nimirum omnium auctores, extremi homines, omnibusque diris digni, teste Tertullian. in Apol. c. 2. Posteriori vocis explicationi fauere videtur Tob. V, 18. exoptabat nimirum mater iunioris Tobiae, vt pecunia, ad quam a Gabaelo reposcendam missus erat, fieret περίψημα τε παιδίε, *reiectamentum pueri*, h. e. vt quasi hostia piacularis pro filio fuisset reiecta. Hactenus *Henke.* v. interpp. ad h. l. *Bosium* et *Loesnerum* ad h. l. *Schleusnerum* in Lexico s. h. v. qui posterior etiam laudauit locum Tobiae, eumque ita expressit: argentum fiat piaculum filii nostri h. e. argentum neglectum oportuisset modo, vt filius noster maneret saluus tutusque. Caeterum interpp. docuerunt περικάθαρμα et περίψημα esse synonyma, atque indicare: *hominem vilissimae contemtissimaeque sortis, calamitatibus obnoxium.*

Capvt VI.

v. 4. καθίζετε] verbum καθίζειν sumendum est transitiue, pro, *sedere facio, colloco.* Quo etiam nonnulli referunt 2 Thess. II, 4. Occurrit τὸ καθίζειν transitiue, Sir. X, 14. XI, 1. XII, 12. *Henke.*

v. 16. ὁ κολλώμενος τῇ πόρνῃ] Respondet verbum κολλᾶσθαι hebraico דבק Gen. II, 24. et notat *adhaerere alicui*, *coniunctum esse cum aliquo*, vt h. l.

h. l. ὁ κολλώμενος τῇ πόρνῃ, *qui meretrici adhaeret,* Matth. XIX, 5. προσκολληθήσεται τῇ γυναικὶ αὐτῇ, *adhaerebit vxori ſuae.* Sap. XIX, 2. ὁ κολλώμενος πόρναις. Tob. VI, 18. ἐφίλησεν αὐτὴν, καὶ ἡ ψυχὴ αὐτῇ ἐκολλήθη σφόδρα αὐτῇ· Deinde ebhibetur κολλᾶσθαι de iis, *qui conſtanter aliquem ſequuntur, alicuius conſuetudine, familiaritate vtuntur, qui ei plane dediti ſunt.* Sir. II, 3. κολλήθητω αὐτῷ *ſis Deo deditus* h. e. ſpem tuam omnem in eo repone. Sir. VI, 36. καὶ τὶς σοφὸς, αὐτῷ προσκολλήθητι, *ſi quis vir ſapiens, eius conſuetudine vtere.* Et ita v. 17. verba ὁ δὲ κολλώμενος τῷ κυρίῳ vertenda ſunt: *qui vero ſtudioſe et vnice ſequitur dominum.* Sicuti nimirum Apoſtolus aliis quoque in locis, vbi ei ſermo eſt de Chriſti cum eccleſia eiuſque membris coniunctione, ſolet eiuſmodi imagines adhibere, quae depingant et exprimant coniunctionem arctiſſimam, vnde eccleſiam nominat corpus, ciues illius membra, Chriſtum caput huius corporis, vnde eccleſiam deſcribit tanquam vxorem Chriſti, et Chriſtum tanquam illius maritum, Eph. V, 24. ſqq.: ita quoque h. l. verbo κολλᾶσθαι, de coniugio ſolenni, vſus eſt, ad exprimendam coniunctionem arctiſſimam, quae inter Chriſtum eiuſque ſectatores intercedat et intercedere debeat.

Caput VII.

v. 18. μὴ ἐπισπάσθω] *ne extendat, ne attrahat,* ſcilicet τὴν ἀκροβυστίαν, *praeputium.* Heſychius: μὴ ἑλκυέτω τὸ δέρμα· De praeputii adductione ope inſtrumenti, nempe per *ſpathiſterem,* cf. *Stephani le Moyne* notas ad Varia ſacra p. 761. qui de hac attractione etiam Ier. IX, 25. agi exiſtimat, *G. Groddeckii* diſſ. de Iudaeis praeputium attrahentibus

bus in Christ. *Schoettgen* Horr. Hebr. et Talmudd. in N. T. tom. I. p. 1159. sqq. aliosque quos laudauit *Schleusner*. in Lex. sub v. ἐπισπάω· Videntur tunc temporis extitisse in ecclesia Corinthiaca, christiani antea Iudaei, quos adeo puderet Iudaismi, vt cuticulum attraherent; aliosque, vt idem facerent, grauiter cohortarentur. Caeterum hanc praeputii attractionem, Iudaeis quoque tempore persecutionis sub Maccabaeis, vsitatam fuisse legimus 1 Macc. I, 16. ἐποίησαν ἑαυτοῖς ἀκροβυστίαν. Ioseph. A. XII, 5. 1. καὶ τὴν τῶν αἰδοίων περιτομὴν ἐπεκάλυψαν, ὡς ἂν εἶεν καὶ τὰ περὶ τὴν ἀπόδυσιν Ἕλληνες. Nominabant Hebraei eiusmodi homines מְשׁוּכִים, ἐπισπαστικούς.

Caput VIII.

v. 10. ἐν εἰδωλείῳ] *in delubro, fano idoli;* nam vocabula in ειον desinentia designant *fanum, aedificium,* vt Βακχεῖον, *Dianium,* etc. 1 Macc. X, 83. καὶ εἰσῆλθον εἰς Βηθδαγὼν τὸ εἰδωλεῖον αὐτοῦ σωθῆναι. 3 Esdr. II, 9.

v. 11. καὶ ἀπολεῖται] *animo perturbatur, molestia ei procreatur, tristitia afficitur, miser redditur.* Verba enim ἀναιρεῖν, ἀνακόπτειν, κόπτειν, κατακόπτειν, ἀπολλύειν, et Latinorum *occidere,* Horat. A. P. 475. *enecare,* Terent. Eunuch. III, 5. 6. saepius non proprie sumuntur, sed eleganter ponuntur de iis, qui alicui aliqua re vllo modo molesti sunt eumque miserum reddunt. Sir. X, 3. βασιλεὺς ἀπαίδευτος ἀπολεῖ τὸν λαὸν αὐτοῦ. Sap. I, 11. στόμα δὲ καταψευδόμενον ἀναιρεῖ ψυχήν, *calumnia miserum reddit hominem.* Hesychius: ἀπολλύει· λυπεῖ. Ita quoque θάνατος apud Soph. Oed. Col. 520. ὦ μοι θάνατος μὲν τάδ' ἀκούειν· *hei!*

hei! mihi mors est ista audire. H. l. idem est quod σκανδαλίζειν, v. 13.

CAPVT XI.

v. 21. ὃς δὲ μεθύει] *alter vero saturatur.* Etenim verbum μεθύειν nonnunquam, vt h. l. ponitur sensu honestiori, *de iis, qui ad satietatem vsque bibunt et edunt,* vt Gen. XLIII, 34. ἔπιον δὲ καὶ ἐμεθύσθησαν μετ᾽ αὐτοῦ, *bibebant autem et potu satiabantur cum illo;* 1 Macc. XVI, 16. καὶ ὅτι ἐμεθύσθη Σίμων καὶ οἱ υἱοὶ αὐτοῦ· Ita quoque legitur Ioh. II, 10. et hebraicum שכר cui μεθύειν respondet, Hagg. I, 6.

CAPVT XIII.

v. 7. στέγει] στέγειν notat *occultare, abscondere,* et *sustinere, ferre.* Hesychius: στέγει· κρύπτει, συνέχει, βαστάζει, ὑπομένει· Iam, cum h. l. paulo post sequatur ὑπομένει, praeferenda haud dubie est prior verbi significatio, qua extat quoque adhibitum Sir. VIII, 20. μετὰ μωροῦ μὴ συμβουλεύου, οὐ γὰρ δυνήσεται λόγον στέξαι· *cum stulto ne ineas consilium, non enim potest verbum celare.* Ergo, omnia occultat, tegit, quae nimirum salua conscientia possunt occultari. Intelligendae autem sunt haud dubie eiusmodi res, quae, si manifestantur, alios ignominia efficiunt.

CAPVT XV.

v. 34. ἐκνήψατε δικαίως] ἐκνήφειν proprie dicitur de iis, qui discussa crapula, discusso somno ad sobrietatem redeunt, euigilant, Ioel, I, 5. ἐκνήψατε οἱ μεθύοντες, vbi in textu reperitur verbum הָקִיץ Sir. XXXI, 2. καὶ ἀῤῥώστημα βαρὺ ἐκνήψει ὕπνον· *morbus grauis excitat e somno,* est ergo ἐκνήφειν

 transi-

transſitiue ſumendum. Deinde vero ἐκνήφειν per metaphoram notat, *ad ſanam mentem redire, reſipiſcere*, vt h. l. et δικαίως vertendum *recte, accurate*, explicatur additis verbis καὶ (h. l. explicantis) μὴ ἁμαρτάνετε.

v. 47. ἐκ γῆς χοϊκὸς] Sir. XVII, 32. οἱ ἄνθρωποι πάντες γῆ καὶ σποδὸς· Ioh. III, 31. ὄντες ἐκ τῆς γῆς, corpore inſtructi terreſtri, terrenis geniti parentibus.

CAPVT XVI.

v. 13. γρηγορεῖτε] referendum ad ἐν τῇ πίστει· ſed γρηγορεῖν ἔν τινι, *inuigilare alicui rei*, eſt, cum cura et attentione et aſſidue eam tractare, Col. IV, 2. h. l. τῇ πίστει accurate, aſſidue doctrinam tenere, ſequi, vita et factis exprimere. Reſpondet γρηγορεῖν verbo hebraico שקד quod etiam ad animum transferri et vſurpari ſolet de vigilantia et attentione, Ier. I, 12. add. Baruch II, 7. — στήκετε καὶ ἀνδρίζεσθε ἐν τῇ πίστει, *conſtanter retinete et ſequimini doctrinam*. 1 Macc. II, 64. ἰσχύσατε καὶ ἀνδρίζεσθε ἐν τῷ νόμῳ, *conſtanter tenete, defendite legem; κραταιοῦσθε, incrementa capite in ea*, Iudith. I, 13. ἐκραταιώθη ἐν τῷ πολέμῳ αὐτοῦ *fortior, ſuperior proelio exſtitit*. Luc. I, 80. ἐκραταιοῦτο πνεύματι, *proficiebat ſapientia, cognitione*. — Imago h. l. deſumta a militibus, quorum eſt vigilare, *ſtationem tenere*, conſtantiam exercere.

IN



IN EPISTOLAM II. AD CORINTHIOS.

Capvt I.

v. 5. Τὰ παθήματα τȣ̃ Χριςȣ̃] pro διὰ τȣ̃ Χριςȣ̃· Col. I, 24. θλίψεις τȣ̃ Χριςȣ̃· *calamitates ob Christi religionis professionem tolerandae.* Gal. VI, 12. ςαυρὸς τȣ̃ Χριςȣ̃· 17. ςίγματα κυρίȣ, ad quem locum *Oecumenius* haec obseruauit: τὰ τραύματα τὰ διὰ τὸν κύριον καὶ διὰ τὸ κύρηγμα. Sir. XXXI, 1. ἀγρυπνία πλȣ́τȣ, *vigilantia propter diuitias.* Cic. pro Coel. c. 29. *reipublicae poenas* i. e. quas quis perpetitur ob rempublicam laesam.

Capvt II.

v. 6. ἐπιτιμία] alias apud scriptores bene Graecos *honor*, h. l. *poena.* Sap. III, 10. ἀσεβεῖς, καθὰ ἐλογίσαντο ἕξȣσιν ἐπιτιμίαν· *iuxta ea quae moliti sunt, poena afficientur.* Ammonius: ἐπίτιμος καὶ ἐπιτίμιος διαφέρει — ἀφ᾽ ȣ̃ τὴν ἐπίπληξιν ἐπιτίμιον φαμέν· Per hanc ἐπιτιμίαν intelligitur h. l. poena excommunicationis; coetu facinorosus ille exclusus erat, sed haud dubie non vnanimi suffragio, imo potius ita sentientibus pluribus, vnde scripsit Apostolus, ὑπὸ πλειόνων.

Capvt IV.

v. 4. ἐν οἷς ὁ θεὸς κ. τ. λ.] *quos regit Deus huius seculi, qui occaecauit mentes improborum, ita, vt*

non splendeat iis lux excellentis doctrinae Christi, qui est Dei imago. ἐν οἷς scilicet ἔνεστι, quos regit, gubernat, (ἐν οἷς ἐνεργεῖ, Eph. II, 2.) atque referri debent haec verba ἐν οἷς ad τοὺς ἀπολλυμένους v. 3. ὁ θεὸς τοῦ α. τ. est *Satanas*, qui Ioh. XVI, 11. ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου vocatur, homines autem improbi, in libris N. T. dicuntur ciues regni Satanae. Ante ἐτύφλωσε subintelligi debet ὃς, ſicut Hebraeorum אשר admodum frequenter omittitur. Verbum autem τυφλοῦν, quod proprie ſignificat *occaecare*, h. l. vt docet planiſſime additum voc. τὰ νοήματα, improprie poſitum eſt. Scilicet qui occaecatur, is impeditur, quo minus videat. Hoc transfertur ad mentem, intelligentiam, mens impeditur, quo minus intelligat; h. l. quo minus intelligant, admittant improbi inſtitutionem in religione chriſtiana. Nam φωτισμὸς eſt h. l. inſtitutio, et εὐαγγέλιον τῆς δόξης poſitum eſt, pro, ἔνδοξον *ſplendidum, excellens, egregium*. Eodem ſenſu, quo h. l., legitur etiam ἀποτυφλοῦν Sapient. II, 21. ἀπετύφλωσε γὰρ αὐτοὺς ἡ κακία αὐτῶν, *occaecauit enim illos improbitas*, h. e. adeo ſunt perditi, vt per ſuam improbitatem impediantur, quo minus intelligant, vana eſſe ſua adverſus hominem probum conſilia.

CAPVT V.

v. 4. οἱ ὄντες ἐν τῷ σκήνει στενάζομεν βαρούμενοι] σκῆνος *tentorium, domicilium*, (σκήνωμα 2 Cor. V, 6. 2 Petr. I, 13.) vocatur corpus hominis, quatenus in eo habitat animus; Heſychius: σκῆνος· σῶμα. Etymolog. M. auctor: σκῆνος καὶ τὸ σῶμα, παρὰ τὸ σκήνωμα καὶ σκηνὴν εἶναι τῆς ψυχῆς οἷον οἰκητήριον· Ita Latini corpus nominant *vas* Cic. Tuſc. I, 22. *vaſculum* Lactant. II, 12. 11. *domicilium* Cic. Tuſc. I, 24. *receptaculum* Cic.

Cic. Tuſc. I, 22. vid. *Fiſcherus* V. C. Ind. in Aeſchin. ſ. v. σκῆνος· et *Maius* Obſſ. Sacr. L. IV. p. 50. ſqq. Caeterum ſimilis locus Sapient. IX, 15. φθαρτὸν γὰρ σῶμα βαρύνει ψυχὴν, καὶ βρίθει τὸ γεῶδες σκῆνος νοῦν πολυφροντίδα, *corpus quod corruptioni eſt obnoxium, aggrauat animum, et terrenum domicilium deprimit mentem varias cogitationes voluentem.*

Caput VII.

v. 10. ἡ τοῦ κόσμου λύπη θαν. κατεργ.] Similis formula legitur Sirac. XXXVIII, 18. ἀπὸ λύπης γὰρ ἐκβαίνει θάνατος.

Caput IX.

v. 9. ἱλαρὸν γὰρ δότην] h. e. *qui lubenter dat*, vt Rom. XII, 8. ὁ ἐλεῶν, ἐν ἱλαρότητι. Prov. XXII, 9. ἄνδρα ἱλαρὸν καὶ δότην· Sir. XXXII, (al. XXXV,) 9. ἐν πάσῃ δόσει ἱλάρωσον τὸ πρόσωπόν σου· καὶ ἐν εὐφροσύνῃ ἁγίασον δεκάτην, *dum munera das, exhilara vultum tuum, et animo laeto praebe decimas.*

v. 10. ὁ δὲ ἐπιχορηγῶν σπέρμα κ. τ. λ.] qui vero ſuppeditat ſeminanti ſemen, (Deus omnium bonorum largitor) ſuppeditet vobis ad vitam neceſſaria, et redundare in vos ex liberalitate veſtra iubeat vberrimos fructus. Hic eſt ſenſus verborum. Itaque verba ὁ ἐπιχορηγῶν — σπείροντι continent periphraſin Dei, benignitatiſque diuinae, ſingulare beneficium commemoratur pro reliquis omnibus. Quoniam vero Apoſtolus imaginem repetiit h. l. a ſemine, agrorumque cultura, dum cohortatur chriſtianos ſuos ad liberalitatem, iiſque apprecatur et facultatem benefaciendi, et largos liberalitatis fructus: hanc imaginem conſtanter retinet, et pergit: ἄρτον

εἰς βρ. χ. quae quidem formula plane respondet verbis v. 8. ἐν παντὶ πάντοτε πᾶσαν αὐτάρκειαν ἔχοντες et verbis v. 11. ἐν παντὶ πλουτιζόμενοι· nam nomen ἄρτος non *panem*, nec *cibum* solummodo, sed omnino etiam *omnia quae sunt ad vitam tuendam alendamque necessaria*, indicat, vt demonstrauimus in commentario nostro ad Hoseae, IX, 4. Igitur sensus est: tribuat vobis ad vitam necessaria, omninoque opes et diuitias ad exercendam liberalitatem, ἐν π. πλουτιζ. v. 11. solet enim Paulus admodum frequenter, vt facile attentus quisque scriptorum ipsius lector animaduertit, formulis et verbis improprie dictis, adiicere melioris intelligentiae et explicationis caussa voces et formulas proprias, id quod etiam h. l. factum est. Ita quoque sine negotio intelligitur, cum v. extr. commemorentur γεννήματα δικαιοσύνης, verba πληθύναι τὸν σπόρον ὑμῶν, esse improprie posita. Nempe per σπόρον, *segetem* intelliguntur beneficia, quae egenis et inopibus tribuuntur, augeat ergo vestra beneficia h. e. concedat vobis facultatem benefaciendi. Nam δικαιοσύνη est h. l. vt contextus docet, *liberalitas*, et γεννήματα δικαιοσύνης prouentus, fructus, praemia liberalitatis commemorantur haec: ii, quibus vos tribuistis beneficia, celebrabunt Deum v. 11. preces ad Deum pro vestra salute mittent, vosque amabunt, coll. v. 14. Caeterum verbum ἐπιχορηγεῖν vt simplex χορηγεῖν proprie notat: *magistrum et praefectum chori esse*, nam χορηγὸς dicebatur proprie is, qui chorum artem canendi docebat, voce praeibat, cui caeteri accinebant; deinde χορηγὸς dictus est etiam is, qui chorum comparat, instruit, omnibusque rebus necessariis ornat, vnde latiori significatu, qui ludorum facit sumtus; hinc ἐπιχορηγεῖν et χορηγεῖν non tantum notant, *dirigere*, *administrare*, sed etiam,

etiam, *largiri, suppeditare,* vid. *Krebsius* ad Decret. Rom. pro Iudd. p. 22. ff. Sic h. l. et Sir. XVIII, 31. ἐὰν χορηγήσῃς τῇ ψυχῇ σου εὐδοκίαν ἐπιθυμίας· 2 Macc. III, 3. ὥστε καὶ Σέλευκον — χορηγεῖν ἐκ τῶν ἰδίων προσόδων πάντα τὰ πρὸς τὰς λειτουργίας τῶν θυσιῶν ἐπιβάλλοντα δαπανήματα· *Seleucus ex reditibus suis suppeditauit omnes sumtus ad sacrificia paranda necessarios.* I, 25. ὁ μόνος χορηγὸς, ὁ μόνος δίκαιος, καὶ παντοκράτωρ καὶ αἰώνιος· *solus beneficus (suppeditans omnia bona), liberalis, omnipotens et aeternus.*

Caput X.

v. 1. ἐπιείκεια] ἐπιεικὴς dicitur is, et ἐπιείκεια tribuitur ei, qui facile suo iure cedit, neque id seuere sectatur et vrget, omninoque errantibus et peccantibus facile ignoscit. Cf. *Loesner.* ad Phil. IV, 5. *Irmisch.* ad Herodian. T. I. p. 792. *Casaubon.* ad Polyb. L. I. c. 14. p. 802. Ergo, *lenitas, aequitas,* id. qd. πραότης. Sap. XII, 18. σὺ δὲ δεσπόζων ἰσχύος, ἐν ἐπιεικείᾳ κρίνεις· tu autem qui potentia emines, es lenissimus iudex. 2 Macc. II, 22.

v. 16. εἰς τὰ ἕτοιμα] vel subintelligendum μέρη, vel posita haec verba existimanda sunt, pro, ἐν τοῖς ἑτοίμοις scilicet τόποις, sensus idem manet. Ἕτοιμον vero, h. l. dicitur id, quod adeo paratum, elaboratum est, vt non opus sit vlteriore labore. Sap. XVI, 20. καὶ ἕτοιμον ἄρτον αὐτοῖς ἀπ' οὐρανοῦ ἔπεμψας· *praeparatum panem de coelo iis misisti,* additur ibi etiam ἀκοπιάτως *sine labore.*

Caput XII.

v. 16. πανοῦργος] ita proprie nominatur, *homo nauus et strenuus, qui omnia recte aggreditur,* in omnibus est bene versatus. Phauorinus: πανοῦργος·

 κυρίως

κυρίως ὁ πᾶσιν ἔργοις ἐπιβάλλων — hinc adhibetur vel in bonam partem, ita vt indicet, *callidum, cautum, prudentem.* Sir. VI, 32. XXI, 12. XXXVII, 10. ἀνὴρ πανȣ̃ργος, καὶ πολλῶν παιδευτής. Prov. XIII, 1. hebraicum חכם Alexandrini vertunt πανȣ̃ργος sed Aquila, Theodot. et Symm. σοφός; vel in malam partem, ita, vt significet hominem *dolosum, fraudulentum*; vt h. l. Hesych. πανȣ̃ργος· δόλιος· vnde et de furibus verbum πανȣργεῖν legitur Aristoph. Plut. 368. vbi Schol. Dorvillian. explicat per κλέπτειν. vid. *Fischerus* ind. Palaeph. s. v. πανȣ̃ργος· et Spec. Clau. Verss. Grr. sub h. v. interpp. ad Thom. Mag. h. v. et *Hoepfnerus* ad Eurip. Cyclop. p. 175. sq. Nicephoras Gregoras apud *Matthaeum* Gloss. Grr. minorr. p. 9. πανȣ̃ργος λέγεται ὁ εἰς πᾶν ἔργον ἐπιβάλλων, ἤγȣν ὁ φρόνιμος· νῦν δὲ παρὰ τοῖς νεωτέροις ἐπὶ τȣ̃ δολίȣ τίθεται ἡ λέξις.

IN



IN EPISTOLAM AD GALATAS.

CAPUT II.

v. 9. Δεξιὰς ἔδωκαν] scilicet χεῖρας. Societatem ineuntes, datis dextris, solebant eam olim firmare. 1 Macc. VI, 58. νῦν οὖν δῶμεν δεξιὰν τοῖς ἀνθρώποις τούτοις, καὶ ποιήσωμεν μετ᾽ αὐτῶν εἰρήνην· *dabimus nunc igitur his hominibus dextram, et pacem cum iis componamus.* XI, 50. δὸς ἡμῖν δεξιὰς, καὶ παυσάσθωσαν οἱ Ἰουδαῖοι πολεμοῦντες ἡμᾶς καὶ τὴν πόλιν· *da ergo nobis dextram, et desinant Iudaei nos et vrbem infestare.* add. v. 62. XIII, 45. ἀξιοῦντες Σίμωνα δεξιὰς αὐτοῖς δοῦναι· v. 50. καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς, καὶ ἐξέβαλεν αὐτοὺς ἐκεῖθεν. Hinc Suidas, δεξιὰς explicat per συνθήκας. Hesychius: δεξιαί· αἱ γινόμεναι κατὰ τὰς συνθήκας ἐπαφαὶ τῶν δεξιῶν χειρῶν εἰς σύμβολον τοῦ βέβαια ἔσεσθαι τὰ συντιθέμενα. Graeci pro δεξιὰς διδόναι simpliciter dicunt δεξιοῦσθαι, *paciſci, pactum inire.* Ariſtoph. Plut. v. 753. cf. *Potterus* ad Lycophron. v. 51.

CAPUT III.

v. 1. ἐβάσκανε] βασκαίνειν eſt Latinorum *faſcinare.* Faſcinatio autem ex veterum ſuperſtitione vario modo fieri ſolebat, vel *verbis*, Catull. VII, 12. *tam te baſia multa baſiare, Veſano ſatis et ſuper Ca-*

tullo est, *Quae nec pernumerare curiosi* (i. e. inuidi) *Possint, nec mala* fascinare lingua; vel *nimiis laudibus* Virgil. Ecl. VII, 27. ad quem locum v. *Cerda;* vel *oculis*, Plutarch. T. VIII, p. 716. Reisk. Virgil. Ecl. III, 103. *quis teneros* oculus *mihi* fascinat *agnos*. Plin. VII, 2. *esse — qui* visu *quoque* effascinent, *interimantque quos diutius intueantur*, iratis *praecipue* oculis. Hinc etiam grammatici vett. graeci βασκαίνειν deducunt a φάεσσι καίνειν, *oculis necare*, vid. Schol. ad Aristoph. Plut. v. 571. Iam quoniam veteres existimabant homines inuidos alios fascinare solere, βασκαίνειν significat etiam *inuidere*. Hesych.: φθονεῖς· ζηλοῖς, βασκαίνεις. Sir. XIV, 6. τοῦ βασκαίνοντος ἑαυτὸν οὐκ ἔστι πονηρότερος, *illo, qui sibi ipsi inuidet, non est peior*, v. 8. πονηρὸς ὁ βασκαίνων ὀφθαλμῷ, ἀποστρέφων πρόσωπον, *malignus, qui est oculo inuido et faciem auertit*. — Qui aliis inuident, hanc suam inuidiam vario modo solent declarare, verbis et factis. Hinc βασκαίνειν *calumniari, obtrectare, maledicere*, Hesychius: βασκαίνει· λυπεῖ, φθονεῖ, μέμφεται· *decipere, in errorem inducere* h. l. Herodian. Grammat. explicat per διαβάλλειν, ἐξαπατᾷν.

v. 15. διαθήκην] διαθήκη est omnino *constitutio, dispositio quaecunque*, vnde *foedus, pactum*. Suidas: διαθήκη· συνθήκη· *testamentum*, Hebr. IX, 17. — Foedus, pactum, cum constet *promissionibus* et *conditionibus*, *legibus*, hinc διαθήκη vt hebraicum ברית, quod vocabulo διαθήκη respondet, notat *promissiones*, Ps. XXV, 14. LXXXIX, 29. et *leges, praecepta*, Hos. VI, 8. H. l. διαθήκη indicat *promissionem certo datam* (κεκυρωμένην, quo verbo vertunt Alexandrini hebraicum קוּם Gen. XXIII, 20.), nam paulo post sequitur, v. 16. τῷ δὲ Ἀβραὰμ ἐῤῥέθησαν αἱ ἐπαγγελίαι· Eph. II, 12. vbi

12. vbi διαθῆκαι et ἐπαγγελίαι sunt mere synonyma, cum Paulus soleat frequenter vocabulis tropicis adiicere propria, 1 Macc. II, 54. διαθήκη ἱερωσύνης αἰωνίας, *promissio sacerdotii aeterni*. 2 Macc. VIII, 15. διὰ τὰς πρὸς τοὺς πατέρας αὐτῶν διαθήκας· Sir. XLIV, 18. διαθῆκαι αἰῶνος ἐτέθησαν πρὸς αὐτὸν, ἵνα μὴ ἐξαλειφθῇ κατακλυσμῷ πᾶσα σάρξ· — Quoniam autem Iudaeorum religio constabat legibus et promissionibus, hinc Iudaei religionem suam vocabant *foedus*, ברית, διαθήκην· 1 Macc. II, 20. ἐγὼ καὶ οἱ υἱοί μου καὶ οἱ ἀδελφοί μου πορευσόμεθα ἐν διαθήκῃ πατέρων ἡμῶν· Temporibus N. T. formulae in re sacra Iudaeorum solennes, haud raro translatae sunt ab Apostolis in christianos, eorumque instituta, et religionem. Hinc quoque διαθήκη *religio christiana* Matth. XXVI, 28. Gal. IV, 24. vbi vocatur καινὴ et opponitur Mosaicae, quae dicitur παλαιά. Hinc et ipsi V. T. libri, quatenus praecepta religionis Iudd. continent, dicuntur διαθήκη παλαιὰ 2 Cor. III, 14.

v. 19. vid. notata ad Act. VII, 53.

v. 23. ἐφρουρούμεθα] sub lege custodiebamur, tanquam sub valido praesidio militari, lex quasi custos noster erat, siue, miles praesidiarius. Est enim τὸ φρουρεῖν verbum militare, significans, *praesidio militari tenere, munire, custodire*. Occurrit etiam Phil. IV, 7. 1 Petr. I, 5. Iudith. III, 6. ἐφρούρησε τὰς πόλεις τὰς ὑψηλὰς, *praesidio militari muniuit vrbes altas*. Cf. 3 Esdr. IV, 56. τὴν πόλιν φρουροῦσιν, *vrbem praesidio militari tenentibus*. *Henke*. συγκεκλ. ἐφρουρ. non eramus liberi, sed parendum erat legi, tanquam paedagogo seuero.

CAPVT V.

v. 4. τῆς χάριτος ἐξεπέσατε] ἐκπίπτειν notat omnino per metaphoram, e statu meliori in deteriorem delabi vel reiici; hinc dicitur de iis, qui spe excidunt, Sirac. XXXIV, 7. ἐξέπεσον (scilicet ἐλπίδος) ἐλπίζοντες ἐπ' αὐτοῖς, *spe deciderunt, sperantes in illis*; sic h. l. τῆς χαρ. ἐξ. ad vos non amplius pertinent religionis christianae beneficia, idem plane quod initio versus: κατηργήθητε ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ.

v. 7. τίς ὑμᾶς ἀνέκοψε κ. τ. λ.] quis vos impediuit, quo minus obsequium praestaretis religionis praeceptis? ἀνακόπτειν, *impedire*, *cohibere*, *reprimere*. Sapient. XVIII, 23. ἀνέκοψε τὴν ὀργήν· Zosim. V, 23. 19. τὴν τῶν μονάχων ἤτουν ἀνακόψαι θρασύτητα· alia exempla huius significationis suppeditabunt ad h. l. *Loesnerus*, et *Kypkius*. Legunt quidem codd. plures ἐνέκοψε, sed haec lectio orta videtur esse ex glossemate; quoniam ἀνακόπτειν in libris N. T. est ἅπαξ λεγόμενον.

CAPVT VI.


v. 7. οὐ μυκτηρίζεται] μυκτηρίζειν Hesychio interprete est, *naribus suspensis* [illegible]*uem deridere*, χλευάζειν, καταγελᾶν, ἀπὸ τοῦ μύζειν τοῖς μυκτῆρσι· hinc etiam coniungitur cum verbo καταγελᾶν, 1 Macc. VII, 34. καὶ ἐμυκτήρισεν αὐτοὺς, καὶ κατεγέλασεν αὐτῶν· Ier. XX. 7. οἱ ὁ· ἐγενόμην εἰς γέλωτα, διετέλεσα μυκτηριζόμενος· in textu hebraico extat verbum לָעַג; deinde omnino denotat, *negligere*, *contemnere* h. l. 1 Esdr. I, 51. αὐτοὶ δὲ ἐμυκτήρισαν ἐν τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ· καὶ ᾗ ἡμέρᾳ ἐλάλησε κύριος, ἦσαν ἐκπαίζοντες αὐτοὺς. Cf. etiam Cant. Cant. VIII, 1. vbi in textu legitur גַּם לֹא־יָבוּזוּ לִי ibi Aquila habet οὐκέτι μυκτηρίσουσί

ϱίσȣσί με· sed οἱ ὁ· ȣ̓κ ἐξȣδενώσȣσί με· *me non spernent.*

v. 8. ὁ σπείρων κ. τ. λ.] qui seminat quasi in agro peruersitatis suae. Sir. VII, 3. μὴ σπεῖϱε ἐπ' αὔλακας ἀδικίας, καὶ ȣ̓ μὴ θερίσῃς αὐτὰς ἑπταπλασίως· Sunt autem nostro loco vt ap. Sir. σπείϱειν et θεϱίζειν improprie dicta, et σπείϱειν quidem valet, *exercere peruersitatem, sequi cupiditates prauas, iis indulgere.*

v. 16. ὅσοι τῷ κανόνι τȣ́τῳ ϛοιχήσȣσιν] κανὼν est *regula, norma quaecunque ad quam examinantur et diriguntur alia,* hinc κανὼν est *funis mensorius,* ita vt apud interpretes graecos veteres respondeat hebraico קו veluti, Iob. XXXVIII, 5. vbi Aquila habet κάνονα, οἱ ὁ· σπαϱτίον et Symmachus σχοινίον· Ps. XIX, 5. vbi lectio קום, etsi aliter sentiant *Hublgantus* et *Koehlerus in Repertor. d. bibl. und morgenl. Lit. Th.* V. 5. 8. qui legendum suadent קולם sana est; οἱ ὁ· expresserunt sensum illius per ὁ φθόγγος αὐτῶν· sed Aquila significationem vocabuli premens, dedit κάνονα αὐτῶν, hinc κανὼν *iudex,* Cic. Epp. ad Div. XVI, 17. *sed heus tu, qui* κανὼν *esse meorum scriptorum soles, vnde illud tam ἄκυϱον, valetudini fideliter inseruiendo?* ad quem locum vid. *Manutius;* hinc κανὼν *praeceptum, doctrina* h. l. *qui huic praecepto conuenienter viuit,* sed hoc praeceptum, haec doctrina est: is qui Christi fauorem sibi vult conciliare, vitam animumque in melius mutet! Phil. III, 16. *praeceptum, quod percepimus, exsequamur:* praeceptum est ibi τὸ αὐτὸ φϱονεῖν concordiae studiosum esse. In libro Iudith. XIII, 6. κανὼν τῆς κλίνης est *columna lecti,* et male hanc lectionem improbat *Baduellus;* qui pro κάνονι legendum esse praecipit κίονι.

IN



IN EPISTOLAM AD EPHESIOS.

Caput I.

v. 3. Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς — ἐν εὐλογίᾳ] εὐλογεῖν, vt vel ex verbi etymologia patet, in genere ſignificat, *bene dicere:* hoc fieri poteſt vel ita, vt alteri bona et fauſta quaeuis appreceris, hinc, *bona apprecari*, 1 Macc. II, 69. καὶ ηὐλόγησεν αὐτοὺς, καὶ προσετέθη πρὸς τοὺς πατέρας αὐτοῦ· *bona et fauſta quaeque iis eſt apprecatus*, — *vel* vt laudes, celebres aliquem, hinc *laudare*, *celebrare*, quo ſenſu etiam legitur בָּרַךְ Iudd. V, 2. 9. et ſic h. l. εὐλογητὸς ὁ Θεὸς, *laudetur*, *celebretur Deus.* Suſan. 61. καὶ εὐλόγησαν τὸν Θεὸν τὸν σώζοντα τοὺς ἐλπιζομένους· — Cum ſoleamus inprimis ei bona apprecari, eum laudare, quem amamus, quem magni facimus; hinc εὐλογεῖν eo etiam ſignificatu ponitur, vt ſit, *amare*, *diligere.* Matth. XXV, 34. οἱ εὐλογημένοι τοῦ πατρός μου· *patri meo cari*, — hinc effectiue, inprimis cum de Deo vſurpatur relate ad homines, *beneficiis afficere*, *felicitate ornare*, ſic h. l. ὁ εὐλογήσας, *qui vos ornauit beneficiis*, et εὐλογία, *beneficium*, vt בָּרַךְ 2 Sam. VI, 11. Gen. XII, 3. et בְּרָכָה Gen. XXVIII, 4. Pſ. XXIV, 5. Sir. VII, 34. XXXIX, 19. vnde ἐπ' εὐλογίαις *benigne*, *liberaliter* 2 Cor. IX, 6.

v. 17.

v. 17. πνεῦμα σοφίας καὶ ἀποκαλύψεως, ἐ. ἐ. ἀ.] ſaepius Hebraei vocabulum רוח copulare ſolent cum aliis ſubſtantiuis, ita, vt praeſtantia et excellentia eius rei, quam additum ſubſtantiuum indicat, exprimatur, coll. Ieſ. XI, 2. Sic Sapient. VII, 7. καὶ ἦλθε μοι πνεῦμα σοφίας, *et adeptus ſum ſapientiam excellentem*, pro quo IX, 10. ſimpliciter legitur ἐξαπόςειλον αὐτὴν (ſcilicet σοφίαν) ἐξ ἁγίων ȣ̓ρανῶν, *mitte eam de coelo, de tua ſancta ſede*. Sir. XXXIX, 7. πνεύματι συνέσεως ἐμπλησθήσεται, *magna, eximia ſapientia repletur*. Ita quoque h. l. πνεῦμα σοφίας καὶ ἀποκαλύψεως eſt, *excellens, magna, eximia ſapientia, quam praebet religio chriſtiana*. Nam σοφία et ἀποκάλυψις ſunt ſynonyma. Etenim ἀποκάλυψις non indicat h. l. reuelationem, ſed id quod eam ſequitur, h. e. *cognitionem, ſapientiam*; et ἐπίγνωσις ſcilicet Θεȣ̃, דעת יהוה eſt periphraſis religionis verae, vt Tit. I, 1. Ita mihi locus explicandus eſſe videtur.

CAPVT IV.

v. 8. vid. ad Apocalypſ. XIII, 16.

v. 15. ἀληθεύοντες ἐν ἀγάπῃ] duplicem haec verba interpretationem admittunt. Nempe ἀληθεύειν, cum ἀλήθεια frequenter in libris N. T. ponatur de religione chriſtiana, ſicut in V. T. libris אמת de religione Iudaeorum, poteſt ſignificare: *veritatis eſſe ſtudioſum*, h. e. religionis chriſtianae, et quidem ἐν ἀγάπῃ *cum amore* i. e. ita, vt aliorum commodum promoueatur, vt eos edoceamus, non vero in errores inducamus, more doctorum falſorum. Cum vero ἀλήθεια adhibeatur quoque de *ſinceritate*, idemque ſit quod ἁπλότης, vnde etiam Alexandrini תם modo vertunt per ἀλήθεια Prou. XXVIII, 6. modo per ἁπλότης Prou. XIX, 1.

Hebr.

Hebr. X, 22. μετὰ ἀληθινῆς καρδίας. Col. III. 22. ἐν ἁπλότητι καρδίας, ita ἀλήθεια 1 Macc. VII, 18.; potest ἀληθεύειν significare etiam, *sincerum, sincero animo esse* et quidem *in amore*, ἐν ἀγάπῃ, h. e. ἀληθῶς ἀγαπᾷν, *sincere, vere alios amare.* Hanc interpretationem praefero, cum sit Graecitati conuenientior.

v. 22. ἀποθέσθαι ὑμᾶς τὸν παλαιὸν — κατὰ τὴν προτέραν ἀναςροφὴν] abstinete ab illa sentiendi et agendi consuetudine, quae per cupiditates prauas corrupta erat, secundum pristinum viuendi morem vestrum, quem antea, cum nondum vos ad Christi signa contulissetis, secuti estis. Verbum ἀποτίθημι, quod inprimis dicitur de vestimentis, quae deponuntur, 2 Macc. VIII, 35. ἀποθέμενος ἐσθῆτα· h. l. improprie dicitur de vitiis, quae deponuntur. Ἀναςροφὴ autem est id. qd. ζωὴ, βίος, *viuendi modus*, quibus verbis Hesychius illud interpretatur. Tob. IV, 19. ἐν πάσῃ ἀναςροφῇ σου.

v. 27. μήτε δίδοτε τόπον τῷ διαβόλῳ] *nolite locum dare*, aures praebere attentas et beniuolas, *calumniatori*, Sirac. XXXVIII, 12. καὶ ἰατρῷ δὸς τόπον· *noli spernere medicum, ei obtempera.*

CAPVT V.

v. 26. καθαρίσας τῷ λουτρῷ τοῦ ὕδατος ἐν ῥήματι] verba priora huius versus ἵνα αὐτὴν ἁγιάσῃ refero ad vltimam particulam versus, qui praecessit. Porro καθαρίσας positum est pro, καὶ ἐκαθάρισε, *purgauit ecclesiam*, nempe a vitiis, sanctam eam reddidit. Quomodo? τῷ λουτρῷ (scl. ἐν) τοῦ ὕδατος, *per baptismum*, quoniam nimirum baptismus, per quem in ecclesiam recipimur, est symbolum puritatis animi, quoniam in baptismo promittimus vitae morumque emendationem in melius, ope auxilioque Sp. S. adiuti.

S. adiuti. cf. Tit. III, 5. vbi hanc eandem ob caussam baptismus dicitur λετρὸν παλιγγενεσίας καὶ ἀνακαινώσεως (διὰ) πνεύματος ἁγίε· vocabulum autem λετρὸν, quod proprie de *lauacro* adhibetur, Cant. IV, 2. Sir. XXXIV, 27. in libris N. T. etiam nude ac simpliciter positum, non addito nomine ὕδατος indicat *baptismum*, quia baptismus, primis ecclesiae temporibus, non adspersione, sed immersione totius corporis in aquam fieri solebat. — Purgauit ecclesiam ἐν ῥήματι, *per doctrinam;* etenim ῥῆμα dictum est pro ῥῆμα θεε̃ i. e. *doctrina diuina, religio christiana;* plena formula legitur Eph. VI, 17. aliisque in locis. Sirac. II, 16. οἱ φοβέμενοι τὸν κύριον, εκ ἀπειθήσεσι ῥημάτων ἀυτε̃· *homines pii obseruant praecepta domini.* Ioh. III, 34. V, 47.

CAPVT VI.

v. 11. πανοπλίαν θεε̃] i. e. armaturam, quam Deus praebet; et singulae huius armaturae partes infra v. 14. sqq. nominatim afferuntur. Similis locus, vbi eadem metaphora adhibetur, est Sapient. V, 18. 19. sqq. Λήψεται πανοπλίαν τὸν ζῆλον αὐτε̃, καὶ ὁπλοποιήσει τὴν κτίσιν εἰς ἄμυναν ἐχθρῶν· Ἐνδύσεται θώρακα δικαιοσύνην, καὶ περιθήσεται κόρυθα κρίσιν ἀνυπόκριτον. Λήψεται ἀσπίδα ἀκαταμάχητον, ὁσιότητα. Ὀξυνεῖ δὲ ἀπότομον ὀργὴν εἰς ῥομφαίαν, συνεπολεμήσει δὲ αὐτῷ ὁ κόσμος ἐπὶ τὲς παράφρονας· *arripiet tanquam armaturam iram ardentem, et armabit creaturam ad puniendos hostes. Induet vt thoracem iustitiam, et galeam capiti imponet iudicium a personarum respectu alienum. Sumet scutum firmissimum, sanctitatem. Acuet iram saeuam in gladium, communiter cum eo mundus suscipiet bellum contra insipientes:* Conf. Ies. LIX, 17. ibique interpp.

v. 12. πρὸς αἷμα καὶ σάρκα] *cum hominibus caducis et imbecillis*. Interdum enim haec formula adiunctam habet imbecillitatis notionem, cum alias saepius notet simpliciter homines. *Theophylactus* ad h. l. πρὸς ἀνθρώπους ὁμοιοπαθεῖς ἡμῖν καὶ ἰσοδυνάμους· Sir. XIV, 18. οὕτως γενεὰ σαρκὸς καὶ αἵματος, ἡ μὲν τελευτᾷ, ἑτέρα δὲ γεννᾶται. Respondet formulae hebraicae בשר ודם Ies. XXXI, 3. Ier. XVII, 5.

v. 13. ἀναλάβετε] idem quod ἐνδύσασθε v. 11. Nam verba ἀναλαμβάνειν et λαμβάνειν adhibentur nonnunquam de rebus, quibus induimur, vel ornamur. vid. locum Sapient. ad v. 11. laudatum. Iudith. XIV, 3. καὶ ἀναλαβόντες οὗτοι τὰς πανοπλίας αὐτῶν· 2 Macc. X, 27. XI, 7. Plutarch. VI, 453. 2. Reisk. λευκὴν ἐσθῆτα ἀναλαβών.

v. 14. στῆτε] coll. 1 Cor. XVI, 13. 1 Petr. V, 19. illustrandi caussa conferimus 1 Macc. IV, 18. vbi Iudas sic alloquitur milites: ἀλλὰ στῆτε νῦν ἐναντίον τῶν ἐχθρῶν ἡμῶν, καὶ πολεμήσατε αὐτοὺς, καὶ μετὰ ταῦτα λάβετε σκῦλα καὶ μετὰ παῤῥησίας. *Henke*. Sensus est: constantes estote in perferendis calamitatibus. Metaphora autem desumta est a militibus, qui stationem suam constanter tenent, vt Phil. I, 27.

v. 18. εἰς αὐτὸ τοῦτο ἀγρυπνοῦντες] verbum ἀγρυπνεῖν vt verbum γρηγορεῖν (vid. ad 1 Cor. XVI, 13.) et Latinorum *vigilare* et *inuigilare*, Sen. Contr. Prooem. I. *torpent ingenia desidiosae iuuentutis, nec in vllius honestae rei labore* vigilatur. Sil. Ital. X, 331. *curis* inuigilat *mens;* habet adiunctam notionem alacritatis, assiduitatis; hinc nostro loco *vigilare*

in

in precibus, est, alacrem, assiduum esse in iis faciendis. Sapient. VI. 15. καὶ ὁ ἀγρυπνήσας δι' αὐτὴν (σοφίαν) ταχέως ἀμέριμνος ἔσαι· *qui strenue, assidue eam persequitur; is mox eandem attingit.*

v. 21. τὰ κατ' ἐμὲ] quae ad me pertinent, statum meum, res meas, 3 Esdr. I, 24. τὰ κατ' αὐτόν· Tob. X, 8. τὰ κατά σε. *Henke.*



IN EPISTOLAM

AD PHILIPPENSES.

CAPVT I.

v. 9. Ἐν ἐπιγνώσει καὶ πάσῃ αἰσθήσει] ſolet Paulus quam ſaepiſſime, cum chriſtianis amorem mutuum apprecatur, vel ad eundem eos cohortatur, ſimul commemorare πίςιν h. e. firmam certamque perſuaſionem animi de religionis chriſtianae veritate ac praeſtantia, coll. 1 Theſſ. I, 2. etc. Sic etiam h. l. optat ἵνα ἡ ἀγάπη περισσεύῃ, *vt amor mutuus* (nam in antecedentibus de amore Philippenſium in Apoſtolum ſermo erat) *maiora quotidie incrementa capiat*, et quidem ἐν ἐπιγνώσει κ. λ. *cum cognitione ac ſenſu*. Nimirum αἴσθησις eſt proprie *ſenſus*, vt αἰσθάνεσθαι *ſentire*, *per ſenſus aliquid percipere*, Iudith. XVI, 15. κλαύσονται ἐν αἰσθήσει ἕως αἰῶνος, *plangent cum ſentient* (ſcl. cruciatus) *in aeternum*. add. 3 Eſdr. I, 22. Deinde vero improprie αἰσθάνεσθαι eſt *percipere*, et αἴσθησις *perceptio* in genere. H. l. perceptio, ſiue, intima perſuaſio de religionis veritate et praeſtantia. Creſcere iubeat mutuam beniuolentiam et cognitionem religionis ac intimam (πάσῃ) animi perſuaſionem etc. Ad ἐπίγνωσιν refero quae ſequuntur v. 10. εἰς τὸ δοκιμάζειν ὑμᾶς τὰ διαφέροντα, ad αἴσθησιν vero, verba, ἵνα ἦτε εἰλικρινεῖς κ. τ. λ.

CAPVT

CAPVT II.

v. 1. εἴ τινα σπλάγχνα καὶ οἰκτιρμοὶ] *si qui vobis inest amor mei.* Vocabula σπλάγχνα et οἰκτιρμοὶ sunt synonyma. Proprie quidem σπλάγχνα significant *viscera*, 2 Macc. IX, 5. ἔλαβεν αὐτὸν ἀνήκεστος τῶν σπλάγχνων ἀλγηδὼν, *constrinxerunt eum acerbi viscerum cruciatus.* Eustath. Il. α. p. 101. σπλάγχνα, τετέστιν τὰ ἐντοσθίδια, σπλῆνα, καρδίαν, ἧπαρ: sed quoniam veteres *viscera* existimabant esse sedem amoris et misericordiae, factum est, vt σπλάγχνα adhiberetur de *amore, misericordia* ipsa, Sap. X, 5. καὶ ἐπὶ τέκνου σπλάγχνοις ἰσχυρὸν ἐφύλαξε, *et effecit, vt fortis s. constans esset tunc cum filii amore commoueretur*, ita et h. l. Hic idem significatus inest vocabulo οἰκτιρμοὶ, vt Sir. V, 6. καὶ μὴ εἴπῃς, ὁ οἰκτιρμὸς αὐτοῦ πολὺς, *ne dicas amorem ipsius esse insignem.* Cf. Baruch. II, 21, 1 Macc. III, 45. Cf. de hoc vsu horum nominum *Fischerus* Prolusf. de vitiis Lexx. p. 204. s. et ad *Leusden.* libell. de Dial. N. T. p. 43. 83.

v. 17. ἀλλ' εἰ καὶ σπένδομαι κ. τ. λ.] σπένδειν proprie est, *libare*, fronti nimirum hostiae immolandae sacerdos vinum infundere solebat, cf. Virgil. Aen. VI, 343. sq. Haec libatio erat pars sacrificii, vnde hoc ipsum verbum significat quoque, *sacra facere, immolare.* Hesychius: σπεῖσαι· προσενέγκαι, θῦσαι θεῷ. Ita h. l. σπένδομαι, *immolor* h. e. quodsi mihi moriendum esset; rectissime igitur *Theophylactus*: εἰ καὶ τελευτῶ. Reliquis verbis lucem affundit locus Rom. XV, 16. vbi Apostolus scripsit: *vt sim sacerdos Iesu Christi quod attinet gentiles, sacra faciens tradendo euangelium Dei, vt existat gentilium oblatio Deo grata, eique sacra per Sp. S.* Nominat Paulus ad Rom. l. c. sese λειτουργὸν Ἰησοῦ, quonam sensu? accuratius constituitur addito, ἱερουργοῦντα·

Etenim ἱερουργεῖν non tantum significat, in genere, *sacerdotem esse*, vt synonymum ἱερατεύειν (Sirac. XLV, 25. λειτουργεῖν αὐτῷ ἅμα καὶ ἱερατεύειν), sed etiam *sacra facere, victimas immolare*. Hesychius: ἱερουργεῖ· θύει, ἱερὰ ἐργάζεται. Ἱερουργοῦντα· θυσίαν προσφέροντα. Ergo λειτουργὸς est, sacerdos, quatenus sacra facit, immolat, vt λειτουργεῖν apud Sir. L, 16. λειτουργῶν ἐπὶ βωμῷ· Gentiles porro ipsi ad Rom. l. c. dicuntur, προσφορὰ εὐπρόσδεκτος scilicet τῷ Θεῷ, *sacrificium Deo acceptum*, improprie, quatenus per Pauli institutionem christiani redduntur. Ergo sensus illorum verborum est: *ut multos* reddam christianos Deo acceptos et probatos. Similis locus extat Sapient. III, 6. ὡς χρυσὸν ἐν χωνευτηρίῳ ἐδοκίμασεν αὐτοὺς, καὶ ὡς ὁλοκάρπωμα θυσίας προσεδέξατο αὐτοὺς, *tanquam aurum in fornace eos probauit, et tanquam holocausti hostiam illos accepit s. probauit.* — Iam igitur hoc nostro ep. ad Phil. loco, θυσία et λειτουργία sunt nomina idem valentia, nam vti ad Rom. l. c. ἱερουργεῖν explicat τὸ, λειτουργὸν εἶναι, ita h. l. θυσία est explicatio vocabuli λειτουργία, ergo vtrumque indicat, *sacrificium*. Per πίστιν autem, intelligitur religionis christianae professio, et vita ad eam composita; haec vero ipsa Philippensium πίστις, nominatur h. l. tropice, *sacrificium a Paulo Deo oblatum*. Itaque omissa imagine, sensus est: *quod si etiam mihi moriendum esset, quod vos ad religionem christianam adduxi, atque Deo quasi hoc modo sacraui, tamen laetarer.*

CAPVT III.

v. 8. ἡγοῦμαι σκύβαλα εἶναι κ. τ. λ.] sensus est: *haec omnia* (vana ornamenta, coll. v. 4. 5. 6.) *vilipendo, ut Christi fauorem consequar* (verbotenus:

vt

vt *eum possim lucrari;* sed sensum, quem posuimus, flagitat, quae sequitur formula: *et in eo inueniar* i. e. sim) *et cum eo coniunctus sim* h. e. christianus sim, eum amare possim, et ab eo redamer, beneficiis afficiar. Scilicet σκύβαλα sunt *reiectamenta, et vilia quaelibet, ea omnia, quae contemnuntur, reiiciuntur.* v. *Gataker.* Opp. Critt. T. II. p. 867. sqq. *Suicer.* Thes. Eccl. p. 978. *Kypkius* et *Loesnerus* ad h. l. nec non quos laudauit *Schleusner.* in Lexico sub h. v. Sir. XXVI, 26. καὶ ἄνδρες συνετοὶ ἐὰν σκυβαλισθῶσιν, *viri sapientes si contemnuntur.*

v. 10. sq. τοῦ γνῶναι αὐτὸν, καὶ τὴν δύναμιν κ. τ. λ.] *vt experiar eum, et vim resurrectionis ipsius, ac sicuti ille calamitates perferam, vt, si mihi eadem mors subeunda sit, quae illi, eandem gloriosam resurrectionem consequar.* Accurate hic versus cum antecedentibus cohaeret; omnia illa externa commoda, inquit Apostolus, quibus gloriari solent Iudaei, sperno ac negligo, praefero iis religionis christianae ornamenta et commoda etc. Versatur nimirum in eo, vt haec ipsa religionis commoda describat, quibus ipse, vtpote christianus, in hac et futura vita perfruatur. Γνῶναι αὐτὸν nempe Χριστὸν, et δύναμιν τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ· cognoscitur autem vis alicuius rei, cognoscuntur commoda, quae secum fert, optime experientia; igitur γινώσκειν in hac orationis serie, verti debet h. l. *experiri,* Sirac. XLVI, 18. XXXIV, 9. vt experiar, vt particeps fiam commodorum, quibus religio christiana suos cultores ornat. Nam Χριστὸς h. l. vt saepius est, ipsa religio christiana. — Γνῶναι τὴν δύναμιν, *vt experiar efficaciam resurrectionis;* haec vero δύναμις est solatium, quod in rebus adversis ex resurrectione Christi fluit, nam hac de re paulo post sermo est. Scio me quoque resuscitatum, et perpetua felicitate ornatum iri. —

Καὶ τὴν κοινωνίαν τῶν παθημάτων αὐτοῦ, *vt etiam experiar communionem calamitatum ipsius*; vt expertus sciam, quid hoc sit, in communionem calamitatum ipsius venire, vt religionis caussa, sicuti ille calamitates et miserias sustineam. — Συμμορφούμενος τῷ θανάτῳ αὐτοῦ, coniungenda sunt haec verba, cum v. 11. et ordo verborum ita constituendus, vt particulae εἴ πως ponantur ante συμμορφούμενος: sed εἴ πως exprimi debet simpliciter, *vt*, Rom. I, 10. VIII, 38. 39. Iam εἴ πως συμ. τ. θ. α. vt *si conformis fiam eius morti* i. e. si mihi non minus quam illi ob religionem mors sit subeunda, καταντήσω, *perueniam* (2 Macc. IV, 44. καταντήσαντος τοῦ βασιλέως εἰς Τύρον, *cum rex peruenisset Tyrum*. 2 Macc. VI, 14. 1 Cor. X, 13.) i. e. consequar. — Εἰς τὴν ἐξανάστασιν νεκρῶν, *ad mortuorum resurrectionem*, non posse de resurrectione in genere sermonem esse, facile quisque intelligit. Loquitur potius Apostolus, de honorifica et gloriosa resurrectione ad felicitatem perennem, simili resurrectioni Christi.

CAPVT IV.

v. 1. χαρὰ καὶ στέφανος] *vos de quibus laetor et glorior*. Horat. Carm. I, 1, 2. *dulce decus meum*. Apud veteres nimirum non modo victores in ludis Graecorum publicis et viri omnino bene meriti, sed etiam ciuitates (Demosth. pro Coron. p. 325. *Corsin.* Fast. Attic. Diss. 8. p. 372.) coronis varii generis ornabantur. Ex hoc honoris genere deriuanda est vocabuli στέφανος significatio, qua notat: *honorem, decus, ornamentum quodcunque* h. l. Sirac. I, 11. Φόβος κυρίου δόξα, καὶ καύχημα, καὶ εὐφροσύνη, καὶ στέφανος ἀγαλλιάματος· XXV, 8. στέφανος γερόντων πολυπειρία· add. 1 Thess. II, 19.

v. 8. ὅσα προσφιλῆ] *quae grata sunt, quibus aliorum fauor comparatur.* Sir. XXIV, 13. ὁ σοφὸς ἐν λόγῳ ἑαυτὸν προσφιλῆ ποιήσει· *qui sapienter loquitur, se aliis reddit gratum.*

v. 10. ὅτι ἤδη ποτὲ ἀνεθάλετε τὸ ὑπὲρ ἐμοῦ φρονεῖν] *quod aliquando refloruerit vestra pro me cura,* i. e. denuo suscepistis mei curam. Philippenses haud dubie per longum tempus non miserant Apostolo stipendium, ideo eos leniter reprehendit, mitigat reprehensionem, dum addit: curam quidem habuistis mei, collegistis stipendium, sed eratis opportuna occasione illud mittendi destituti. Ἀναθάλλειν, *repullulare, progerminare,* verbum de herbis et floribus proprium. H. l. transitiue et quidem per metaphoram ponitur, vt Sirac. I, 16. στέφανος σοφίας φόβος κυρίου, ἀναθάλλων εἰρήνην καὶ ὑγίειαν ἰάσεως, *corona sapientiae pietas, procreans pacem et salutem firmissimam.* XI, 22. εὐλογία κυρίου ἐν μισθῷ εὐσεβοῦς, καὶ ἐν ὥρᾳ ταχινῇ ἀναθάλλει εὐλογίαν αὐτοῦ· L, 10. ὡς ἐλαία ἀναθάλλουσα καρποὺς, *sicut olea procreans fructus.* Pindar. Olymp. III, 40. ἀλλ᾽ οὐ καλὰ δένδρε᾽ ἔθαλλε χῶρος ἐν βάσσαις Κρονίου Πέλοπος.



IN EPISTOLAM AD COLOSSENSES.

CAPUT I.

v. 5. Ἐλπίδα ἀποκειμένην] *propter felicitatem, quae nobis reseruata est in coelo.* Ἐλπὶς *spes*, pro re ipsa quae speratur, h. l. *felicitas aeterna*, coll. 1 Petr. I, 4. Verbum autem ἀποκεῖσθαι ponitur proprie de rebus, quae thesauri instar, in futuros vsus reseruantur; hinc deinde etiam adhibetur de praemiis, vt h. l. 2 Macc. XII, 45. ἐμβλέπων τοῖς μετ' εὐσεβείας κοιμωμένοις κάλλιστον ἀποκείμενον χαριστήριον, *respiciens ad praestantissimum praemium, quod iis, qui tanquam homines pii mortui sunt, repositum est.* Cf. *Loesnerus* et *Krebsius* ad h. l. nostrum.

v. 15. πρωτότοκος πάσης κτίσεως] *omnis creationis dominus.* Πρωτότοκος proprie est *primogenitus*. Thom. Mag. p. 765. ed. Bernard. πρωτότοκος· ὁ πρῶτος τεχθείς· hinc significationem excipit alia, qua notat *primum*, nam primogeniti sunt inter fratres primi 1 Par. V, 19. ἰωὴλ ὁ πρωτότοκος, καὶ σαφὰν ὁ δεύτερος, et Gen. XXV, 25. hebraicum ראשון *primus*, exprimitur graeco vocabulo πρωτότοκος. Tum est, *dilectus*, quia primogenitos singulari amore plerumque prosequi solent

ſolent parentes. Hebr. XII, 23. ſic πρωτόγονος Sir. XXXVI, 12. ἐλέησον — καὶ Ἰσραὴλ ὃν πρωτογόνῳ ὡμοίωσας, *quem habuiſti ſ. tractaſti tanquam primogenitum, quem imprimis amaſti.* Denique πρωτότοκος eſt omnino, *rex, princeps, dominus;* nam primogeniti apud Hebraeos capita gentis erant. Sic R. Ioſephus Bechai in explicatione Paraſchae Exod. XXX, 11. ſqq. a *Wolfio* in Curis ad h. l. laudatus, Deum ipſum nominat *primogenitum mundi.* In V. T. reges, *primogeniti, filii Dei* nominantur, h. e. magni, excellentes, potentes reges. Pſ. LXXXIX, 28. vbi Deus loquens inducitur hunc in modum: אַף־אָנִי בְּכוֹר אֶתְּנֵהוּ *ego conſtituam eum primogenitum,* vbi οἱ ό· בכור per πρωτότοκος reddiderunt. Et quaenam ſignificatio nomini בכור h. l. ſubſtitui debeat, perſpicue docet membrorum parallelismus; alterum enim ibi membrum ita ſe habet: עֶלְיוֹן לְמַלְכֵי־אָרֶץ *omnium regum principem.* LXX verterunt: ὑψηλὸν παρὰ τοῖς βασιλεῦσι τῆς γῆς. Sic igitur etiam noſtro loco ſenſus verborum eſt: *Chriſtus creationis omnis dominus eſt, nam per eum creata ſunt omnia.* Κτίσις *mundus, vniuerſum, omnis natura.* Sirac. XVI, 17. τίς γάρ ἡ ψυχή μȣ ἐν ἀμετρήτῳ κτίσει. Sapient. XVI, 24. ἡ γὰρ κτίσις σοὶ τῷ ποιήσαντι ὑπηρετȣ͂σα.

v. 18. ἵνα γένηται ἐν πᾶσιν αὐτὸς πρωτεύων] *vt in omnibus rebus primas partes, ſ. principatum obtineret.* Haec enim eſt vis et poteſtas verbi πρωτεύειν, 2 Macc. VI, 18. Ἐλεάζαρός τις τῶν πρωτευόντων γραμματέων, *Eleazarus vnus de primoribus ſcribarum.*

CAPVT II.

v. 18. θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων] *qui ſtudioſus eſt modeſtiae, quae ſeſe*

exſerit

exserit cultu angelorum. Nempe θέλειν, vt Hebraeorum חפץ sequ. ב 1 Sam. XVIII, 2. significat: *delectari* aliqua re adeoque etiam, *cupidum et studiosum eius esse* Ps. CXI, 1. hinc 1 Macc. IV, 42. θεληταὶ νόμε sunt, *studiosi sectatores legis*. Vocabulum porro θρησκεία vsurpatur de cultu religioso, tam vero Iac. I, 26. quam falso, et posteriori sensu frequentius legitur, Sap. XIV, 18. εἰς ἐπίτασιν δὲ θρησκείας καὶ τὲς ἀγνοῦντας ἡ τῦ τεχνίτε προετρέψατο φιλοτιμία, h. e. *Baduello* interprete, *ad amplificationem instituti cultus, accessit ipsius artificis ambitiosa diligentia, quae commentatione artis imperitos homines magis allexit atque ad venerationem hominis excitauit.* v. 27. ἡ γὰρ τῶν ἀνωνύμων εἰδώλων θρησκεία· XI, 15. ἐν οἷς πλανηθέντες ἐθρήσκευον ἄλογα ἑρπετὰ καὶ κνώδαλα εὐτελῆ, *colebant serpentes mutos et animalia vilia.* H. l. igitur, θρησκεία ἀγγέλων est, *superstitiosus angelorum cultus.* Erant enim inter Iudaeos, qui angelos intercessores existimarent hominum apud Deum. Habet autem omnino quandam, etsi ineptae, modestiae speciem, per angelos preces ad Deum deferre. Vid. Philo de Somn. p. 586. D. Ioseph. de b. Iud. II, 8. 6. Vestigia huius opinionis iam deprehendimus in libro Tobiae, XII, 15. ἐγώ εἰμι Ῥαφαὴλ, εἷς ἐκ τῶν ἑπτὰ ἁγίων ἀγγέλων, οἳ προσαναφέρεσι τὰς προσευχὰς τῶν ἁγίων· Ergo verbis θρησκεία ἀγγέλων ostenditur h. l., quodnam modestiae genus sit reprehensione dignum. Alii θρησκεία ἀγγέλων explicant, *religio summa,* cuius tamen interpretationis necessitatem non video.

ἐμβατεύων] ἐμβατεύειν proprie notat *ingredi,* quo significatu etiam legitur de hostili irruptione, 1 Macc. XIII, 20. ἦλθε Τρύφων τῦ ἐμβατεῦσαι εἰς τὴν χώραν· Iam cum ii, qui locum aliquem ingressi

gressi sunt, saepe etiam ibi sedes figant, notat ἐμβατεύειν quoque, *habitare, commorari*. Tum *inhabitare alicui rei* dicuntur per metaphoram ii, qui toti sunt in aliqua re, assidue eam tractant, curiose indagant et perscrutantur, atque inde fluxit significatio haec: *indagare, perscrutari*. Quo sensu verbum h. l. extat et 3 Macc. II, 20. τὸ μὲν ἐμβατεύειν, καὶ περὶ πάντων ποιεῖσθαι λόγον, καὶ πολυπραγμονεῖν, τῷ τῆς ἱςορίας ἀρχηγέτῃ καθήκει.

v. 20. δογματίζεσθε] δόγματα sunt proprie *edicta, decreta, placita, sententiae*, Luc. II, 1. Act. XVI, 4. coll. XV, 20. hinc δογματίζειν est, *decreta facere, leges ferre*, δόγματα τιθέναι, vt explicat Diog. Laert. III, 51. Sic 2 Macc. X, 8. ἐδογμάτισαν δὲ μετὰ κοινȣ̃ προστάγματος· *decreuerunt communi praecepto*. XV, 36. ἐδογμάτισαν πάντες μετὰ κοινȣ̃ ψηφίσματος.

CAPVT III.


v. 11. βάρβαρος, Σκύθης] sunt synonyma, hoc tantum discrimine, vt Σκύθης sit vocabulum grauius. Nimirum βάρβαρος dicitur proprie is, *qui linguam peregrinam loquitur*, non ea vtitur, qua nos vtimur, cuius linguam non intelligimus, *peregrinus*, 1 Cor. XIV, 11. Ouid. Trist. V, 10. 37. Barbarus *hic ego sum; quia non intelligor vlli*. Et quoniam Graeca lingua erat omnium cultissima, factum est, vt omnes, *qui non loquerentur Graece, nec Graeci essent*, dicerentur βάρβαροι, (Festus: barbari; *dicebantur antiquitus omnes gentes, exceptis Graecis*. Plaut. Asinar. Prolog. *huic nomen Graece est Onagros fabulae, Demophilus scripsit, Marcus vertit barbare i. e. Romane*. Sic Rom. I, 14. opponuntur sibi inuicem *Graeci* et *barbari*, quo nomine simul comprehenduntur Romani.) omninoque etiam, ma-

lo ſenſu, hoc cognomento inſignirentur *homines indocti, inexculti*, et *rudes*; vt h. l. — Σκύθαι autem, omnium populorum erant antiquitus maxime inculti, rudes, et barbari; vnde etiam eorum immanitas in prouerbium abiit. 2 Macc. IV, 47. οἵτινες εἰ καὶ ἐπὶ Σκυθῶν ἔλεγον ἀπελύθησαν ἂν ἀκατάγνωστοι, τούτοις θάνατον ἐπέκρινε, *qui etiamſi apud Scythas cauſſam dixiſſent, innocentes iudicati eſſent; hos morte damnauit.*

v. 16. vid. notata ad Philem. v. 7.

v. 22. φοβούμενοι τὸν θεὸν] *reuerentia, pietate in Deum permoti.* Omnis enim Iudaeorum religio, inprimis cogitatione et admiratione potentiae diuinae continebatur, vid. *Koppe* Excurſ. IV. ad Gal. p. 98. Hinc illae formulae φοβεῖσθαι τὸν θεὸν, μετὰ φόβου καὶ τρόμου, quibus non niſi *pietas* et *reuerentia in Deum* ſignificantur, explicandae ſunt. Sir. XV, 1. ὁ φοβούμενος κύριον ποιήσει αὐτὸ, *qui Deum colit, hoc faciet.* XXXII, 14. ὁ φοβούμενος κύριον ἐνδέξεται παιδείαν· etc.

IN



IN EPISTOLAM PRIOREM AD THESSALONICENSES.

CAPVT I.

v. 8. Ἐξήχηται] *personuit.* Nam ἐξηχέω *sonum edo*; Sir. XL, 13: καὶ ὡς βροντὴ μεγάλη ἐν ὑετῷ ἐξηχήσει· etc. H. l. metaphorice ἐξήχηται, *dimanauit*; *propagata est* fama, idem quod paulo post ἐξελύληθεν· Hesychius: ἐξηχεῖτο· ἐξηκέετο.

v. 10. ἀπὸ τῆς ὀργῆς τῆς ἐρχομένης] *ab ira ventura* i. e. a poena futura, quae improbis imminet. Sic ὀργὴ Rom. IV, 15. ad quem locum *Theodoretus*: ὀργὴν γὰρ τὴν τιμωρίαν ἐκάλεσε. 1 Macc. I, 64. καὶ ἐγένετο ὀργὴ μεγάλη ἐπὶ Ἰσραὴλ σφόδρα. Caeterum ἐρχομένης positum est pro ἐλευσομένης, vt τὸν ῥυόμενον pro ῥυσόμενον.

CAPVT II.

v. 7. vide ad 2 Timoth. II, 24.

v. 12. εἰς τὴν ἑαυτοῦ βασιλείαν καὶ δόξαν] vocabulum ἡ βασιλεία nude ac simpliciter positum h. l. idem est quod in commentariis euangelistarum inprimis, ἡ βασιλεία τοῦ Χριστοῦ, l. θεοῦ, vel, quod idem est, τῶν οὐρανῶν; nam vox οἱ οὐρανοὶ saepius ponitur pro

pro ὁ Θεὸς, vt patet e loco Danielis IV, 23. coll. v. 22. Iam ſatis inter omnes conſtat, Iudaeos, inde ab antiquiſſimis temporibus, et inprimis etiam ipſo Chriſti tempore, exſpectaſſe ſeruatorem, Dauidi ſimilem, qui ipſos ab hoſtibus liberaturus, et rempublicam ad ſummum gloriae ſplendoriſque faſtigium euecturus eſſet, vid. nos *Meſſianiſche Weiſſagungen des A. T. Vorrede* S. 1. ff. Atque hinc illae ipſae formulae, βασιλεία τῶν ȣ̓ρ. τȣ̃ Χρ. τȣ̃ Θεȣ̃ illuſtrandae ſunt, quae *modo* adhibentur de regno Meſſiae ſolenni futuro, de felicitate aeterna, *modo* de religione, eccleſia chriſtiana et *modo* de vtroque coniunctim. Chriſtus enim ſemper tanquam *caput*, *dominus*, *rex*, κεφαλὴ eccleſiae proponitur. H. l. coniunguntur βασιλεία καὶ δόξα, quae quidem poſita exiſtimo pro, βασιλεία ἔνδοξος. Sed δόξα eſt h. l. *felicitas*, *conditio felix et proſpera*, vt Sir. IX, 11. μὴ ζηλώσῃς δόξαν ἁμαρτωλȣ̃. 1 Macc. II, 62. Itaque βασιλεία ἔνδοξος eſt, *regnum feliciſſimum*, *quod felicitatem praebet ampliſſimam*, h. e. vt orationis ſeries ſuadet, *felicitas aeterna*. Itaque vertimus: adduxit vos ad religionem, vt eſſetis regni ipſius futuri feliciſſimi ciues.

CAPVT IV.

v. 4. εἰδέναι τὸ ἑαυτȣ̃ σκεῦος] Vocabulum σκεῦος proprie *inſtrumentum*, *vas*, cuiuſcunque generis indicat, Sapient. XV, 7. *Toup.* emendatt. ad Suid. p. 8. ed. Lipſ. ſed ſicuti apud Hebraeos (v. *Fiſcher*. ad Leuſden. de Hebraiſm. N. T. p. 42.) pariter atque Graecos et Latinos (vid. ad 2 Cor. V, 4.) vocabula inſtrumentorum et ſupellectilis frequentantur de *corpore humano*, v. Gatackerus ad M. Antonin. p. 68. ita quoque nomen σκεῦος nonnunquam ſignificat *corpus* 1 Cor. IV, 7. quo ſenſu etiam ἀγγεῖον,

vt

vt probauit ad h. l. *Loesnerus*, non vno in loco Philonis legitur. Iam cum nostro loco praecesserit πορνεία, vocabulum generalius; cum h. l. non tantum de *maritis*, sed etiam de *innuptis* sermo sit (scripsit enim Apostolus in genere, ἕκαστος ὑμῶν), quod iam praeclare animaduertit *Oecumenius*, qui ad h. l. haec habet: ὐ τοῖς γεγαμηκόσι μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἀγάμοις, καὶ ταῖς χήραις τὴν νομοθεσίαν προσφέρει· *non tantum nuptis sed et innuptis et viduis hanc legem scribit:* in promtu est *corporis* notionem huic nomini h. l. vnice conuenire., vid. Rom. I, 24. 1 Cor. VI, 18. Κτᾶσθαι autem, non reddi debet h. l. *acquirere*, *comparare sibi*, siue, *ducere vxorem*, vt volunt nonnulli, quo sensu extat Sirac. XXXVI, 24. ὁ κτώμενος γυναῖκα· sed, *conseruari*, *tueri*, vt Luc. XXI, 19. Denique ἐν ἁγιασμῷ καὶ τιμῇ est, *caste*, *honeste*, atque εἰδέναι id. qd. φροντίδα ἔχειν, *curam habere*.

v. 6. τὸ μὴ ὑπερβαίνειν ἐν τῷ πράγματι] vulgatior huius loci interpretatio est, de iniustitia, fraude, et auaritia, in pecuniis, negotiis, et contractibus, vt ne in his et similibus casibus alter alterum circumveniat et defraudet. Alii vero, inter quos Hieronymus, Erasmus, Estius, Hammondus, Ludov. de Dieu, hunc versiculum cum prioribus ita connectunt, vt Apostolus adhuc sermonem continuet suum de scortatione, hoc modo, ne quis terminos sui coniugii transgrediens alienum torum violet, atque ita proximum suum ἐν τῷ πράγματι in huiusmodi negotio fraudet, iniuriaque afficiat. coll. Prou. V, 15. 20. IX, 17. Lectori relinquimus iudicandum, anne huic explicationi lucis aliquid afferre queat collatio Sir. XXIII, 18. vbi verbum παραβαίνειν hoc sensu occurrit; ἄνθρωπος παραβαίνων ἀπὸ τῆς κλίνης αὐτῦ scilicet in alienam; ceu contextus

clare docet. Ita c. XLII, 10. *μετὰ ἀνδρὸς ὄσα, μήποτε παραβῇ, cum viro existens s. viro coniuncta, ne transgrediatur in alienum torum, adulterium committat. Henke.* Sed vulgaris interpretatio facilitate et simplicitate sua sese commendat. Et loci e Siracide allati sunt alius generis. Accedit, quod vox πρᾶγμα hoc sensu turpi, quo apud scriptores barbaros, vt notat *Trillerus* Obss. Crit. p. 212. interdum occurrit; in sacris scriptoribus nusquam legitur. Praeterea quoque Sir. XXIII, 18. lectio est incerta, nam Clem. Alex. Paed. L. II, 10. p. 229. legit ἀναβαίνων ἐπὶ κλίνης, quam lectionem vtpote faciliorem praefert *Bendtsen* in Specim. exercitt. critt. in V. T. libros apocryphos ex scriptis Patrum etc. p. 39. Cf. etiam Koppius ad h. l. et Schleusnerus in Lex. s. voc. πρᾶγμα.

Caput V.

v. 3. αἰφνίδιος — ὥσπερ ἡ ὠδὶν] αἰφνίδιον vocatur omne id, quod improuiso et inopinato euenit, idem quod ἀπροσδόκητον, quocum etiam tanquam synonymum coniungitur Sapient. XVII, 15. αἰφνίδιος γὰρ αὐτοῖς καὶ ἀπροσδόκητος φόβος ἐπῆλθεν· Vt vero Apostolus notionem hanc: poena *repentina et grauissima* exornaret, comparauit poenam cum doloribus puerperae. Etenim ὠδὶν, Latine, *nixus*, (Gell. XII, 1. Gloss. Vett. ὠδῖνες, *nixae*) Hebraice חבלים (Ies. XIII, 8. Ier. XIII, 21.) est vocabulum de doloribus parturientis proprium. Sir. IX, 27. καὶ μητρὸς ὠδῖνας μὴ ἐπιλάθῃ, *noli obliuisci dolorum matris, quae te* peperit. Cum vero puerperarum dolores soleant esse inprimis acerbi et acres, vnde apud Homer. Il. λ', 271. πικραὶ ὠδῖνες, et Ies. LXVI, 7. ab Alexandrinis ὁ πόνος τῶν ἀλγηδόνων, commemorantur, hinc adhibetur nomen ipsum

ipsum de quocunque dolore acerbo et graui. Hesychius: ὠδῖνες· πόνοι, ἀλγηδόνες· hinc etiam calamitates graues, vt h. l. poenae diuinae, comparantur cum puerperae doloribus Matth. XXIV, 8.

v. 23. ὁλόκληρος] *integer, totus*, (id. qd. ὅλος). Vox vsurpatur de lapidibus integris, ferro intactis, 1 Macc. IV, 47. *et acceperunt lapides* ὁλοκλήρους *integros secundum legem*, quae legitur Deut. XXVII, 6. vbi οἱ ό· שלמות vertunt ὁλοκλήρους *integros, perfectos, ferro non tactos*, coll. v. 5. *Henke.* Omnino ὁλόκληρον dicitur omne id, quod suo in genere est perfectum, etiam sensu morali, vt ὁλόκληρος δικαιοσύνη, Sapient XV, 3. et h. l. id. est qd. ὁλοτελὲς, nam sensus est: *vos Deus reddat sanctissimos.* Populariter coniunguntur πνεῦμα et ψυχὴ, quibus vocabulis significantur animi sensa et cogitata, mens, animus ipse, sicut per σῶμα, corporis facta.



IN EPISTOLAM POSTERIOREM AD THESSALONICENSES.

CAPVT I.

v. 6. Ανταποδȣ͂ναι] verbum ἀνταποδίδωμι *rependo, retribuo*, tam in bonam, quam in malam partem ponitur. Et bono quidem ſenſu, ita, vt ſit, *beneficiis afficio*, legitur Sirac. III, 34. XXX, 6. Pſ. XVIII, 24. vbi in textu eſt, גמל, malo vero ſenſu, ita, vt ſignificet: *poenis, malis, afficio*, vſurpatur h. l. Sir. XVII, 19. Iudith. VII, 15. καὶ ἀνταποδώσεις αὐτοῖς ἀνταπόδομα πονηρόν. Pſ. CIII, 10. vbi etiam ita exprimitur verbum גמל.

v. 10. ἐνδοξασθῆναι ἐν τοῖς ἁγίοις αὐτȣ͂] Sicuti formula ἐνδοξασθῆναι ἐν τινι ita adhiberi ſolet, vt eius ſenſus ſit, laudem et gloriam ſibi comparare ex alterius conditione vel miſera vel beata, cuius auctor ſim, ita quoque θαυμασθῆναι (cultum, venerationem ſibi comparare) ἐν τινι eodem ſenſu legitur. Sic Sapient. VIII, 11. ὀξὺς εὑρεθήσομαι ἐν κρίσει, καὶ ἐν ὄψει θαυμασθήσομαι, *ſtrenuus iudex ero et potentes me venerabuntur*. Sir. XXXVIII, 3. ἐπιστήμη ἰατρȣ͂ ἀνυψώσει κεφαλὴν αὐτȣ͂, καὶ ἔναντι μεγιστάνων θαυμασθήσεται. H. l. igitur vertimus

mus verba: *vt illustretur per suos cultores, et veneratione sese dignissimum per eos demonstret.*

CAPVT II.

v. 1 — 11. Vario modo hunc perobscurum locum explicuerunt interpretes. Ac recentiores quidem, in duas potissimum partes abeunt. Alii nimirum interpretantur locum nostrum *de excidio Hierosolymitano,* quam interpretandi rationem exornauit nuper S. Ven. *Noesseltus* in Opuscc. theologg. T. II. p. 261. alii vero explicandum esse monent *de iudicio extremo,* cf. *Koppius* ad h. l. et Excurs. II. S. Ven. *Storr.* Diss. in epistolar. Pauli minor. aliquot loca (Tubing. 1792. 4.) p. 33. sqq. etc. — Liceat igitur nobis, in tanta opinionum diuersitate, etiam nostram sententiam apponere, et paulo curatius atque copiosius hunc locum interpretari. Itaque praemissis primo obseruationibus quibusdam, quae locum in vniuersum spectabunt, et constituto consilio Pauli atque argumento loci, singula deinde verba breuiter illustrabimus, ita, vt locos inprimis librorum apocryphorum, e quibus illustratio eorum peti possit, passim afferamus. — Ac primo quidem obseruandum est hoc, non commode h. l. sermonem esse posse de excidio Hierosolymorum. Etenim equidem non intelligo, quid exinde in Thessalonicenses redundasset commodi, si Paulus eos, aduentus Christi diem grauiter metuentes (concedunt enim ii, qui h. l. de excidio Hierosolymitano cogitant, v. 1. sermonem esse de aduentu Christi extremo) hunc in modum voluisset consolari: nolite existimare, breui iudicii extremi tempus esse aduenturum, nam, priusquam adueniat, respublica Iudaeorum delebitur. Iudaeorum respublica non ita multo post delebatur; ipsi Apostoli a Christo edocti sciebant (Luc. XXI,

 32.),

32.), ciuitatis reipublicaeque Iudaicae interitum non longe abfuturum esse, quomodo ergo Apostolus hunc in modum Thessalonicenses consolari, quomodo sperare poterat, se hac ratione metum iudicii extremi, tanquam breui imminentis, ex eorundem animis radicitus exstirpaturum esse? nonne certissime praeuidere poterat, hunc eundem metum, expugnatis Hierosolymis, denuo, et quidem longe vehementius, quam antea, horum christianorum animos perturbaturum esse? et quomodo tandem, haec si ipsius fuisset sententia, salua veritate, potuisset affirmare, adhuc remotum esse Christi aduentum vltimum? — Non nego quidem, formulas παρουσία θεοῦ, παρουσία Χριστοῦ, aliis in locis de excidio Hierosolymorum adhibitas deprehendi; sed nostro loco hic formulae παρουσία κυρίου (v. 8.) sensus inesse non potest, partim, propter ea, quae cap. huius epistolae primo leguntur; partim propter omnes illos prioris epistolae locos, in quibus mentio fit παρουσίας Χριστοῦ, vbi extra omnem dubitationem positum est, sermonem esse de aduentu Christi extremo, coll. IV, 5. Quodsi praeterea capitis huius versu primo per παρουσίαν τοῦ Χριστοῦ intelligi debet iudicium extremum, (id quod, vti iam supra notatum est, largiuntur nobis plurimi eorum interpretum, qui reliquum omnem locum de excidio Hierosolymorum exponunt): satis luculenter exinde nobis consequi videtur; vel propter leges grammaticas etiam v. 8. per παρουσίαν τοῦ Χριστοῦ intelligendum esse, Christi ad iudicium extremum aduentum. — Deinde notandum est etiam hoc: Apostolos quidem ignorasse tempus aduentus Christi, sed non credidisse eos, hunc aduentum proxime instare, hoc tantum eos credidisse, et affirmasse, *repente* et *inopinato* Christum aduenturum esse, coll. 1 Thess. V, 2. Neque huic sententiae obstant

obſtant loci nonnulli, vbi videntur apoſtoli affirmare, breui aduenturum eſſe Chriſtum; nam vel commode poſſunt de excidio Hieroſolymitano explicari, vel formulae, quae ibi leguntur, *dies domini inſtat, propinquus eſt*, exprimunt tantummodo, ex Hebraeorum loquendi conſuetudine (Ieſ. X, 22. 23. כליון חרוץ *feſtinans vaſtatio* h. e. certo euentura) aduentus *certitudinem*. Cf. *Eichhornii* Comment. in Apocalypſ. Ioh. I, 3. Neque adeo opponi nobis poterunt, ea, quae leguntur 1 Theſſ. IV, 15. *ἡμεῖς οἱ ζῶντες οἱ περιλειπόμενοι εἰς τὴν παρουσίαν τοῦ κυρίου*; num enim ex his verbis conſequitur, putaviſſe Apoſtolum, ſe vna cum iis Chriſtianis, quibus has literas ſcripſerat, Chriſto veniente ad iudicium extremum, ſuperſtitem fore? Minime; ſed hoc conſequitur, vſum eum eſſe eadem figura, qua centies in literis ſuis vſus eſt, quam grammatici *ἀνακοίνωσιν* vocare ſolent, induiſſe eum perſonam eorum, quos ille dies adhuc in viuis deprehenſurus eſſet. Cum enim hanc figuram aliis in locis lubenter agnoſcamus, quidni eandem etiam hoc loco admittamus? praeſertim cum aperte loquatur orationis ſeries, Paulum hac figura h. l. vſum eſſe, cum addiderit *οἱ ζῶντες*, et *περιλειπόμενοι*, et haec eadem repetierit v. 17. quae plane otioſa eſſent, ſi Apoſtolus per *ἡμεῖς* ſe et Theſſalonicenſes tunc temporis viuentes, intellexiſſet, et ita ſimul patet etiam 1 Cor. XV, 52. hanc eandem figuram adhibuiſſe Apoſtolum. — Animaduertendum denique eſt, vſum eſſe hoc noſtro loco Paulum, ſermone prophetico, adeoque hanc ipſam ob cauſſam, non omnia ac ſingula verba ad latum vnguem eſſe reſecanda. — His iam praemiſſis, ad argumentum ipſum huius orationis Paulinae progredimur. Viuebant nimirum tunc temporis inter Theſſalonicenſes plures doctores falſi, qui praeter

ter alia, affirmarent quoque, Christum breui iudicem esse rediturum; qua re maximopere perturbabantur christianorum illorum animi. Versatur ergo Apostolus nunc in eo, vt Thessalonicensibus *partim* demonstret hunc metum vanum inanemque esse, *partim* eos grauiter cohortetur, velint sibi cauere a doctoribus falsis. Patet igitur, *duplex* fuisse Apostoli haec scribentis consilium, voluisse eum christianos suos *consolari*, et vero etiam eos *monere*, vt sibi cauerent a doctoribus falsis. Itaque docet, ante aduentum Christi iudicis, doctores falsos extituros esse quam plurimos, longe plures quam nunc essent v. 7. qui in eo elaboraturi essent, vt varii generis fraudibus erroribusque pietatem christianam, religionis verae studium impedirent, et destruerent, quorum tamen infelices conatus, adhuc per Apostolos reprimerentur, coll. v. 6. Scilicet iussi erant a Christo Apostoli in omnes regiones migrare, religionemque christianam docendo propagare; sciebant vbique locorum spargi, et incrementa capere debere, doctrinam christianam. Sed cum haec scriberet Paulus, nondum satis ampla erat ecclesia christiana. Sciebat ergo etiam Apostolus, ecclesiam Christi, ante iudicii extremi aduentum, longe praeclarius excellentiusque florere debere, quam nunc floreret. Potuisset ergo hoc argumento commode vti ad consolandos christianos suos. Sed quoniam eos hoc loco simul ab erroribus doctorum falsorum grauiter dehortari vult, alio modo rem aggreditur. Extiterant nimirum in his ipsis iam rei christianae initiis, plures doctores falsi, qui religionem christianam vario modo, variisque de caussis corrumpere studerent. Praeuidere ergo certo poterat Apostolus, quo latius religio Christi propagaretur, eo plures etiam extituros esse falsos doctores, qui essent rei christianae aduersarii grauissimi.

mi. Erat praeterea communis Iudaeorum opinio, aduentum Meſſiae atroces calamitates eſſe praegreſſuras. v. *Schoettgen.* Hor. Hebr. T. II. p. 512. 518. ſqq. vnde etiam Chriſtianorum illorum metus explicari poteſt; et hanc opinionem ſimul reſpicit Apoſtolus, ita, vt calamitatem ante tempus iudicii extremi irrupturam, doceat fore improbitatem ſummam, cuius auctores futuri eſſent doctores falſi, quod idem affirmat 2 Tim. III, 1. ſqq. Nolite, inquit Apoſtolus (haec eſt ſumma diſputationis ab eo inſtitutae) exiſtimare breui aduenturum eſſe iudicii tempus; improbitas, impietas, cuius auctores ſunt falſi doctores, priuſquam aduenerit Chriſtus iudex, ad ſummum faſtigium perueniet, ſed nolite his doctoribus falſis, et viuentibus adhuc Apoſtolis, et iis mortuis, attentas beneuolaſque aures praebere. Hunc in modum hic locus explicandus mihi videtur. Videamus nunc de verſibus ſingulis.

v. 1. 2. *Rogo autem vos cariſſimi, ne, quod attinet apparitionem domini noſtri Ieſu Chriſti, noſtramque cum eo coniunctionem, ſtatim perturbet perterreatque vos vel doctor falſus, vel ſermo tanquam a nobis prolatus, vel denique epiſtola, tanquam a nobis conſcripta, quaſi iam inſtet dies Chriſti iudicis.*

ἐπισυναγωγὴ] eſt conuocatio, congregatio chriſtianorum ad Chriſtum, coniunctio cum eo, et perfruitio felicitatis, qua ipſe perfruitur, coll. 1 Theſſ. IV, 17. πάντοτε σὺν κυρίῳ ἐσόμεθα. σαλεύειν] *agitare, vt fluctus maris et venti ſolent*, nam eſt verbum proprium de nauibus, quae fluctuum ventorumque vi huc illuc iactantur. Moſchopulus: σαλεύειν· κυρίως ἐπὶ νηὸς λέγεται, ὅταν ἐπ᾽ ἀγκύρας κινῆται, καὶ ἀσαθὴς ὑπὸ τῶν κυμάτων ταραττομένη· v. *Boſius* ad Hebr. XII, 27. Sap. IV, 4. ὑπὸ

ἀνέμυ σαλευθήσεται· Iudith. XVI, 15. ὄρη ἐκ θεμελίων σὺν ὕδασι σαλευθήσεται· Deinde hoc verbum transfertur ad homines, quorum animus metu, curis, ac sollicitudine perturbatur, vt h. l. Iudith. XII, 15. ἐσαλεύθη ἡ ψυχὴ αὐτῦ· 1 Macc. VI, 8. ἐθαμβήθη καὶ ἐσαλεύθη σφόδρα· synonymum huius verbi est, θροεῖσθαι, quod hoc ipso quoque sensu extat Matth. XXIV, 6. διὰ πνεύματος] per doctorem, et quidem, vt contextus docet, falsum. Luculenter haec huius vocis significatio confirmatur 1 Ioh. IV, 1. μήτε — ἡμῶν] vltima verba ὡς δι' ἡμῶν referri debent ad λόγος et ἐπιςολὴ, oratio vel epistola a nobis profecta, suppositicia. Ne vos auctoritas doctoris, vel sermo, qui mihi adscribitur, vel epistola suppositicia fallat!

v. 3. 4. *Ne patiamini, vt vos quisquam vllo modo decipiat! Etenim non veniet dominus, priusquam praecesserit defectio, et sese manifestauerit homo facinorosus ac perditus, qui aduersatur et superbe contemnit omne quod Dei vel numinis nomen gerit, adeo, vt Dei instar, sedem suam in templo Dei collocare, et se pro Deo gerere audeat.*

Ante μήτις subaudiendum est ὁρᾶτε vel φυλάττετε. κατὰ μηδ. τρ.] coll. v. 2. extr. ἀποςασία] *defectio a religione vera,* vt 2 Chron. XXIX, 19. 1 Macc. IV, 15. οἱ καταναγκάζοντες τὴν ἀποςασίαν· h. l. secessio ab Apostolorum doctrina genuina et pura. ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας ὁ υἱὸς τ. ἀπωλ.] sunt formulae idem valentes. Hebraei nimirum vocabula אדם, אנוש, בן, Alexandrini et scriptores N. T. vocabula ἄνθρωπος, τέκνον, υἱὸς, nominibus virtutum, vitiorum, aliarumque rerum ita iungunt, vt significetur is, ad quem virtus vel vitium, vel res, pertineat. v. *Fischerus* Proluss. XXIX,

2. Pf.

2. Pſ. XL, 10. LXXXVIII, 22. etc. ſic h. l. vtraque formula indicat, *hominem perditum*, *peccatorem*, et intelligendi ſunt doctores falſi, 1 Ioh. II, 8. coll. IV, 3. nam nomina ἄνθρωπος et υἱὸς poſita ſunt collectiue. Vt vero eo grauius deterreret Apoſtolus Theſſalonicenſes ab impietate et fraudibus horum hominum, propoſuit deſcriptionem *improbitatis* eorum *maximae*, in qua tamen non omnia nimis premenda ſunt. ἐπὶ — σέβασμα] *Dei numinumque omnium contemtores* h. e. omnino, *homines maxime impii*. σέβασμα *numen*, hiſtor. Drac. v. 27. ἴδετε τὰ σεβάσματα ὑμῶν, *haec ſunt veſtra numina*. Sap. XV, 17. τῶν σεβασμάτων αὐτοῦ, *idolorum ſimulacris*. XIV, 20. σέβασμα ἐλογίσαντο, *pro numine habebant*. ἀντικεῖσθαι aduerſari alicui quacunque ratione et modo, h. l. contemnere, adſpernari. ὥστε — θεός] verbis vltimis verſus explicantur verba ὥστε αὐτὸν εἰς τὸν ναὸν τοῦ θεοῦ ὡς θ. καθ. ſenſus eorum eſt, ſe potius, non Deum audiendum poſtulant, ſunt quam maxime arrogantes. Conf. 2 Macc. IX, 12. ἰσόθεα φρονεῖν *paria Deo ſentire*, maxime vanum et arrogantem eſſe.

v. 5 — 8. *Nonne vobis in mentem venit, me haec, cum apud vos eſſem, dixiſſe? Noſtis ergo etiam, quid illum retineat, ita, vt tandem certo quodam tempore poſſit prodire. Illa enim clandeſtina impietas iam operatur, tunc vero vbi, qui eam reprimit, e medio ſublatus fuerit, manifeſtabit ſeſe ille impius, quem dominus ſpiritu oris ſui perdet, et puniet, cum glorioſe apparebit.*

τὸ κατέχον] pro κατέχοντες, nam v. 7. legitur ὁ κατέχων· *qui reprimunt*, *cohibent* ſcilicet τὸν ἄνθρωπον τῆς ἁμαρτίας, ſequitur enim αὐτόν. Intelliguntur Apoſtoli. νῦν] temporibus quibus nos

viui-

viuimus. ἐν τῷ ἑαυτοῦ καιρῷ] mortuis Apostolis, et, si vos non στήκετε καὶ κρατεῖτε τὰς παραδόσεις ἃς ἐδιδάχθητε, coll. v. 15. non constanter retinetis et summo ardore studioque defenditis doctrinam puram et incorruptam. τὸ μυστήριον — ἐνεργεῖται] 1 Ioh. II, 8. καὶ νῦν ἀντίχριστοι πολλοὶ γεγόνασιν. Verba autem nostra posita sunt pro: ἡ ἀνομία ἐν μυστηρίῳ ἤδη ἐνεργεῖται, *iam initium capit improbitas, vix sentientibus nobis doctores irreligiosi plures existunt, errores suos latius spargunt.* Scilicet ἡ ἀνομία id. est qd. ὁ ἄνομος, i. e. οἱ ἄνομοι, ἄνθρωποι τῆς ἁμαρτίας et ἀπωλείας. Porro ἐν μυστηρίῳ est id. qd. ἐν κρυπτῷ et recte monuit ad h. l. *Koppius*, qui idem docuit, in voce μυστήριον non esse argutandum, significare eam, *quicquid alios lateat*, *arcanum*, et laudauit hanc in rem Tob. XII, 7. Sir. XXII, 22. XXVII, 16. 17. 21. 2 Macc. XIII, 21. — Formula ἐκ μέσου γίνεσθαι est Latinorum, *e medio tolli*, et de morte, tam violenta quam naturali ponitur. ἀποκαλυφθήσεται] opponitur τῷ, ἐν μυστηρίῳ ἐνεργεῖται, ergo, *aperte aget*, abiecto omni pudore, quam plurimi, errores spargent. τῷ πνεύματι] ex Hebraismo, *potentia sua.* vid *Koppius* ad h. l.

v. 9 — 12. *Ille vero impius, vbi apparuerit, iuuante diabolo, varii generis fraudulenta miracula patrabit et varii generis fraudes impias exercebit inter improbos, quos, quoniam non admittunt amorem veritatis, per quam felices fieri potuissent, tradet Deus fraudi speciosae, ita, vt fidem habeant huic fraudi speciosae; et poenas luent omnes a veritate alieni improbitatis studiosi.*


οὗ] scilicet ἀνόμου· ἡ παρουσία] *vbi apparuerit*, id. qd. v. 8. ἀποκαλυφθήσεται. κατ' ἐν. τοῦ Σατ.] *ope diaboli, iuuante diabolo.* Quicquid enim religioni

ni christianae contrarium est, ad Satanam tanquam auctorem referri solet. ἐν πᾶσι — ψεύδους] h. e. in vniuersum, omni modo suos errores spargere, alios decipere studebunt. ἀπολλυμένοι] christiani, qui a vera doctrina descifcunt, doctoribus falsis attentas et benignas aures praebent, adeoque sibi infelicem sortem contrahunt. ἀγάπην οὐκ ἐδέξαντο] *non acceperunt amorem* i. e. non amarunt (Prou. I, 30. לא אבר Aq. Sym. et Theodot. οὐκ ἐξεδέξαντο) τῆς ἀληθείας, non secuti sunt et retinuerunt doctrinam religionis purae et incorruptae. πέμψει ἐνέργειαν πλάνης] h. e. *permittet vt decipiantur.* ἐνέργεια πλάνης, *efficacia fraudis*, pro, πλάνη ἐνεργής, *fraus efficax*; ea vero fraus efficax est, quae alterum decipit, sed nonnisi speciosa fraus alterum decipit, ergo ἐνεργὴς πλάνη verti debet, *fraus speciosa*. Intelliguntur, vt per ψεῦδος, errores falsorum doctorum, qui speciose proponuntur, et variis artibus sparguntur. ἵνα] euentum indicat, εἰς τὸ κριθῆναι. εὐδοκεῖν ἐν τῇ ἀδικίᾳ] *amare*, i. e. sequi doctrinam erroneam et fraudulentam; εὐδοκεῖν ἐν τινι respondet Hebraeorum verbo חָפֵץ sequ. ב id. qd. ἀγαπᾶν paulo ante v. 10. ἀγάπην δέχεσθαι. Caeterum ἀδικία est ipsa falsorum doctorum doctrina. Atque ita haec ipsa huius orationis conclusio, euidenter satis probare videtur, voluisse inprimis etiam Apostolum admonere Thessalonicenses christianos, vt sibi cauerent a fraudibus impostorum.

Caput III.

v. 11. περιεργαζομένους] *aliena curantes*, contraria formula legitur 1 Thess. IV, 11. τὰ ἴδια πράσσειν, *sua negotia curare*. Sed περιεργάζεσθαι proprie notat, *summa et nimia cura laborare*, *nimio studio aliquid pertractare*. Hinc, quoniam omne nimium

mnium vertit plerumque in vitium, περίεργον significat, *superuacaneum*, *inane*, et περιεργάζεσθαι *superuacanea*, *inania*, *aliena tractare*, vt Sir. III, 22. ἐν τοῖς περισσοῖς τῶν ἔργων τȣ μὴ περιεργάζȣ· Et sic h. l. περιεργάζεσθαι valet, in alienis rebus occupatum esse, aliorum vitam, actiones, negotia, curare, et quidem intempestiue, vt quae cognoueris, aliis enarrare possis, vt hoc modo tibi victum, alimenta, fauorem compares. Disputauit de hoc verbo copiosius *Perizon.* ad Ael. H. V. II, 44. quo tamen loco περιεργάζεσθαι simpliciter notat, *cum cura aliquid elaborare.*



IN EPISTOLAM PRIOREM AD TIMOTHEVM.

CAPVT I.

v. 13. Βλάσφημον] *impium.* Nomina βλασφημία, βλάσφημος et verbum βλασφημεῖν adhibentur quidem proprie de *vocibus contumeliosis*, inprimisque *in Deum contumeliosis*, v. *Fischerus* ad *Leusden.* de Hebraism. N. T. p. 52. sed interdum etiam ponuntur latiori significatu, ita, vt omnino *impietatem*, siue illa *vocibus* siue *factis* demonstretur, declarent. Et hoc quidem sensu vsurpatam existimo h. l. vocem βλάσφημος, cum ea iuncta legatur nominibus διώκτης et ὑβριστής. Ita quoque legitur 1 Macc. II, 6. καὶ εἶδε τὰς βλασφημίας τὰς γενομένας ἐν Ἰούδα καὶ Ἱερουσαλὴμ, vbi de factis impiis sermo est; et Vulgatus recte simpliciter expressit *mala*. Add. 2 Macc. IX, 28. vbi Antiochus vocatur ἀνδροφόνος καὶ βλάσφημος *impius*. Solent enim Hebraei verba dicendi ad actum transferre. Phauorinus: βλασφημία· τὸ πρᾶγμα, καὶ βλάσφημος ὁ διαπραττόμενος καὶ λέγων τὴν βλασφημίαν· v. *Schleusner*. Spicileg. I. post *Bielium* s. v. βλασφημία.

v. 17. βασιλεῖ τῶν αἰώνων] αἰὼν *aeuum*, *seculum*, notat h. l. aliisque in locis *mundum*, nam Hebraei eodem sensu vtuntur voc. עוֹלָם et Syrus interpres

pres Matth. XIII, 35. pro Graeco voc. κόσμος vſurpauit nomen ܥܠܡܐ. Deus h. l. nominatur βασιλεὺς τῶν αἰώνων h. e. *rex totius mundi*, vt Tob. XIII, 6. ὑψώσατε τὸν βασιλέα τῶν αἰώνων· v. 10. καὶ εὐλόγει τὸν βασιλέα τῶν αἰώνων. De vſu plurali eminentiae οἱ αἰῶνες vid. *Fiſcherus* Proluſſ. de vitiis Lexx. N. T. p. 160. et de variis voc. αἰὼν ſignificationibus *Koppius* Excurſ. II. ep. ad Galat.

Caput II.

v. 3. τῶν ἐν ὑπεροχῇ ὄντων] ſignificantur *ciuitatis principes*, *magiſtratus*. Ὑπεροχὴ h. l. *dignitas*, 2 Macc. III, 11. ἀνδρὸς ἐν ὑπεροχῇ κειμένου. ſermo eſt ibi de Hyrcano, atque indicatur hac formula *vir dignitate conſpicuus*.

v. 13. ἐπλάσθη] verbum πλάσσειν, quod eſt proprium de figulis, qui e luto vaſa fingunt et formant, Sap. XV, 7. 8. omninoque deinde latiori ſenſu de artificibus quibuſuis ponitur, Ael. H. V. II, 13. IV, 4. frequenter etiam dicitur de creatione hominis, ita, vt ſit, *creare*, ſic h. l. Pſ. CXVIII, 73. vbi in verſione Alexandrina coniunguntur verba ποιεῖν et πλάσσειν. Alio ſenſu ap. Plat. Phaed. c. 32. legitur σῶμα πλάσσειν, vbi id. eſt quod σῶμα θεραπεύειν.

Caput IV.

v. 6. ᾗ (διδασκαλίᾳ) παρηκολούθηκας] *doctrinam quam amplexus es*. Verbum παρακολουθεῖν refertur tam ad perſonas, *quas ſequimur*, 2 Tim. III, 10. quam, ad res, vt h. l. *ſequi*, *amplecti doctrinam*. 2 Macc. IX, 27. II, 4.

v. 15. ἵνα σου ἡ προκοπὴ φανερὰ ᾖ ἐν πᾶσιν] *vt de tuis in religione profectibus inter omnes conſtet.*

Verbi

Verbi *προκόπτειν*, significatio propria est, *praesecare, praecidere*, atque dicitur non modo de iis, qui arbores, dumeta, virgulta, et reliqua, quae iter facientibus impedimento esse solent, resecant, vt sic peruium et commodum iter reddatur, sed etiam de rusticis, superuacuos surculos amputantibus, quo vberiores fructus arbores proferre possint. Hinc deinde per metaphoram *προκόπτειν* valet, *progressus facere, incrementa capere*. Atque ita nomen *προκοπή*, quod Hesychius vocabulo *αὔξησις* interpretatur, significat *incrementum, profectus*, vt h. l. et Phil. I, 12. 25. Sirac. LI, 17. *προκοπὴ ἐγένετό μοι ἐν αὐτῇ, progressus in ea feci.*

v. 16. *ἔπεχε σεαυτῷ*] scilicet *τὸν νοῦν· obserua te ipsum, sis attentus in te ipsum, caute et prudenter viuas.* Sirac. XXIX, 20. *πρόσεχε σεαυτῷ*. Hesychius: *ἔπεχε· ἐπίκεισο, πρόσεχε, κάτεχε, ἐπίμενε.* Sirac. XXXIV, 2. *ὁ ἐπέχων ἐνυπνίοις, qui somnia obseruat, in ea attentus est.*

CAPVT VI.

v. 8. *σκεπάσματα*] intelliguntur per *σκεπάσματα* omnis generis tegumenta, sensu latissimo; vestimenta, tecta, domus etc. Synonymum eius est *σκέπη*, quod Sirac. XXIX, 22. tectum indicat, nam Hesychius hoc vocabulum per *σκέπασμα* explicat. Similis locus est Sirac. XXIX, 21. *ἀρχὴ ζωῆς ὕδωρ, καὶ ἄρτος, καὶ ἱμάτιον, καὶ οἶκος καλύπτων* (verba hunc in modum videntur ordinanda: *καὶ οἶκ. καὶ ἱματ. καλ.*) *ἀσχημοσύνην·* haec enim omnia per *διατροφὰς* (1 Macc. VI, 49.) et *σκεπάσματα* intelliguntur.

v. 19. *θεμέλιον*] vocatur omne id quod firmum et stabile est, h. l. idem esse dicitur quod *θέμα* h. e.

 pecu-

pecunia in thesauris reposita, Tob. IV, 9. vbi sermo est de eleemosynis, θέμα γὰρ ἀγαθὸν θησαυρίζεις σεαυτῷ εἰς ἡμέραν ἀνάγκης· *thesaurum tibi paras in tempus calamitosum.* Nescio tamen, an possit haec vocabuli θεμέλιος significatio alio loco probari. Itaque potius subintelligo ἀπὸ τοῦ κοινοῦ vt vocant, vocabulum θησαυρὸς, et θεμέλιος adiectiue positum existimo, sicuti apud scriptores exteros leguntur formulae, θεμέλιος λίθος, θεμέλιον στρῶμα etc. atque adeo omnem vocem ita explico: ἀποθησαυρίζοντας ἑαυτοῖς θησαυρὸν θεμέλιον, καλὸν, *colligant sibi diuitias certas s. firmas et praeclaras.* Similis locus Sirac. XXIX, 11. θὲς τὸν θησαυρόν σου κατ' ἐντολὰς ὑψίστου, καὶ λυσιτελήσει σοι μᾶλλον ἢ τὸ χρυσίον. Haec scripseramus, cum in manus veniret libellus *Storrii* Viri longe Eruditissimi nobisque Amicissimi *Diss. Exeget. in epistolarum Pauli minorum aliquot loca,* et hunc virum (p. 47. sq.) haec verba nostra eodem modo interpretatum esse, quo nos ea exposuimus, non sine magna quadam cum voluptate animaduertimus.

v. 20. παρακαταθήκην] Codd. et Patrr. legunt παραθήκην; sensus idem manet, cum inter vtrumque vocabulum nullum aliud intercedat discrimen, quam quod Moeride Atticista auctore, παρακαταθήκη dixerint Attici, παραθήκη reliqui Graeci. Praefero tamen priorem lectionem, cum facile librariorum incuria in codd. irrepere potuerit lectio παραθήκη· Notat autem hoc vocabulum *pignus, depositum,* 2 Macc. III, 10, ὑποδείξαντος παραθήκας εἶναι χηρῶν τε καὶ ὀρφανῶν· v. 15. ἐπεκαλοῦντο εἰς οὐρανὸν τὸν περὶ παραθήκης νομοθετήσαντα τοῖς παρακαταθεμένοις ταῦτα σῶα διαφυλάξαι. *supplici voce rogarunt Deum, qui de depositis*

positis legem tulit, vt seruaret illas pecunias saluas iis, in quorum vsum depositae essent. Tob. X, 13. παρατίθημί σοι τὴν θυγατέρα μȣ ἐν παρακαταθήκῃ, *trado tibi filiam meam tanquam depositum.* Hoc nostro loco legitur haec vox sensu metaphorico, atque intelligitur *doctrina euangelii*, cuius propagatio Timotheo erat commissa. Locos e Philone et Iosepho, in quibus παρακαταθήκη legitur sensu tam proprio, quam translato attulerunt *Loesnerus* et *Krebsius* ad h. l. Conf. de hac voce *Perizon.* ad Ael. H. V. IV, 1. *Valckenar.* et *Wesseling.* ad Herodot. VI. p. 471. 477.



IN EPISTOLAM POSTERIOREM AD TIMOTHEVM.

Capvt I.

v. 5. Ἀνυποκρίτου πίστεως] ἀνυπόκριτον vocatur omne id, *quod suo in genere verum et genuinum, non fictum et simulatum est.* Hinc Rom. XII, 9. ἡ ἀγάπη ἀνυπόκριτος verus amor, pro quo 1 Tim. I, 5. legitur ἀγάπη ἐκ καθαρᾶς καρδίας. add. 1 Petr. I, 22. hinc Sapient. XVIII, 16. κρίσις ἀνυπόκριτος, *iudicium verum* h. e. a partium studio alienum. Hesychius: ἀνυπόκριτος· ἄδολος, ἀπροσωπόληπτος. H. l. ἀνυπόκριτος πίστις est, persuasio de religionis veritate et praestantia *firma ac certa, coniuncta cum illius exercitio.* Quam interpretationem confirmat auctoritas versionis Syriacae, quae habet ܫܪܝܪܬܐ *firma, vera fides* ab ܫܪ *confirmatus est.*

v. 6. ἀναζωπυρεῖν] propria huius verbi vis est: *ignem sopitum ac fere extinctum suscitare, ita, vt in nouas erumpat flammas,* hinc per metaphoram notat, *rei alicui vel excitandae et recuperandae vel alendae et conseruandae, vel augendae et promouendae sedulam operam nauare,* ergo *excitare,* Plutarch. T. VIII, p. 436. Reisk. τὴν ἔχθραν τῇ φιλοτιμίᾳ πάλιν ὑπεκκάομεν καὶ ἀναζωπυροῦμεν· *fouere, alere.* Sic h. l. facultates tibi a Deo concessas, alas, augeas; con-

conferues. 1 Macc. XIII, 7. καὶ ἀνεζωπύρησε τὸ πνεῦμα τοῦ λαοῦ, *et excitauit animum populi.* Gen. XLV, 27. vbi de laetitia, qua Iacobi animus, audito nuntio de Iosepho adhuc superstite reficiebatur, legitur ותחי רוח יעקב quae verba Alexandrini interpretes expresserunt: καὶ ἀνεζωπύρησε τὸ πνεῦμα Ἰακὼβ τοῦ πατρὸς *recreatus est animus Iacobi patris.* Hunc ad locum pertinet glossema Lexici Biblioth. Coislinianae apud *Montefalcon.* p. 494. ἀνεζωπύρησεν· ἀνεκτήσατο τὴν ψυχὴν καὶ ἀνενεώσατο καὶ παρεμυθήθη.

CAPVT II.

v. 9. ἐν ᾧ κακοπαθῶ μέχρι δεσμῶν] *cuius caussa multa mala, quin ipsa vincula perfero.* Supra I, 12. δι' ἣν αἰτίαν καὶ ταῦτα πάσχω· verbum κακοπαθεῖν est de athletis militibusque, (Polyxen. Strat. II, 30. 3.) varii generis molestias, famem sitimque perferentibus proprium, coll. v. 3. hui. cap. Deinde vero frequentatur de quibuscunque molestiis, laboribusque, (κακοπάθεια de labore scriptoris 2 Macc. II, 27. 28.) quos constanter perferimus, vt h. l. de calamitatibus propter religionem christianam tolerandis.

v. 24. ἤπιον εἶναι] *benignum, lenem, humanum.* Vsurpatur ἤπιος tam de personis, quam de rebus. Sic de principe, Addit. Esth. XIII, 2. ἐπιεικέστερον δὲ καὶ μετὰ ἠπιότητος ἀεὶ διεξάγων, *clementer et leniter tractauit imperio ipsius subiectos.* De parentibus Hom. Odyss. β', 47. de doctore 1 Thess. II, 7. vbi male codd. nonnulli legunt νήπιοι, quae lectio negligentiae librarii suam originem debet, qui vltimam literam verbi ἐγεννήθημεν coniunxit cum nomine ἤπιος. Sic ἤπια φάρμακα vocantur medica-

dicamina, quae sine dolorum excitatione morborum vim minuunt et frangunt.

v. 26. ἀνανήψωσιν ἐκ τῆς τȣ̃ διαβόλȣ παγίδος] ἀνανήφειν inprimis dicitur de ebriis, qui discussa crapula ad sanam mentem redeunt, ἀνανήφειν ἐκ μέθης, Diod. Sic. T. II, p. 153. Wessel. v. *Gatacker*. Opp. Critt. T. II. p. 736. sq. vnde omnino est, *resipiscere, ad sanam mentem redire*, cf. ad 1 Cor. XV, 34. verum h. l. inhaeret huic verbo simul notio liberationis, vt adeo vertendum sit: *vt resipiscentes expediant se e laqueo diaboli.* Sed παγὶς τȣ̃ διαβόλȣ, vt 1 Tim. III, 7. indicat h. l. *insidias diaboli*, nam 1 Tim. VI, 9. coniunguntur tanquam synonyma vocabula πειρασμὸς et παγίς. Sirac. IX, 3, μήποτε ἐμπέσῃς εἰς τὰς παγίδας αὐτȣ̃· XXVII, 30. Imago autem h. l. desumta est a venatione.

Capvt III.

v. 10. τῇ ἀγωγῇ] ἀγωγὴ est *vivendi ratio*, idem quod βίος, quo ipso vocabulo interpretatur illud ad h. l. Theophylactus. Hesychius vero explicat per τρόπος, ἀναστροφή. Esth. II, 20. καὶ Ἐσθὴρ ȣ̓ μετήλλαξε τὴν ἀγωγὴν αὐτῆς· *et Esther non mutauit vitae consuetudinem.* 2 Macc. XI, 24.

v. 16. πρὸς ἐπανόρθωσιν] verbum ἐπανορθȣ̃ν proprie notat, *id quod curuum et prauum est facere rectum*, deinde, *in integrum restituere*, *emendare*. Hinc ἐπανόρθωσις est *restitutio in integrum*, 1 Macc. XIV, 34. ὅσα ἐπιτήδεια ἦν πρὸς τὴν τȣ́των ἐπανόρθωσιν, *quae necessaria erant, ad restituenda ac reficienda ea, quae diruta erant et vastata*, — *correctio*, *emendatio* h. l.

Capvt IV.

v. 6. καιρὸς τῆς ἐμῆς ἀναλύσεως] ἀναλύειν notat omnino etiam, *abire, diſcedere.* Iudith. XIII, 1. ὡς δὲ ὀψία ἐγένετο, ἐσπȣ́δασαν οἱ δȣ̃λοι (Ὁλοφέρνȣ) ἀναλύειν *abire e conſpectu illius.* 2 Macc. XII, 7. ἀνέλυσε, *abiit, diſceſſit.* Hinc ἀνάλυσις, *diſceſſus, abitus.* Sicuti vero ἀναλύειν deinde translate de morte dicitur, vt ſignificet *mori*, quo eodem ſenſu etiam Latini *decedere* ponunt pro, *mori*, vt Cic. epp. ad Attic. I, 4. *pater nobis* deceſſit *ad* VIII. *Cal. Decembr.* Phil. I, 23. ita quoque ἀνάλυσις mortem indicat h. l.

v. 8. τοῖς ἠγαπηκόσι τὴν ἐπιφάνειαν αὐτȣ̃] *qui ipſius apparitionem deſiderant.* Ἀγαπᾷν h. l. *deſiderare, expetere*, nam Alexandrini etiam hebraicum אהב quod aliis in locis reddunt ἀγαπᾷν, Mich. III, 2. exprimunt verbo ζητεῖν· μισȣ̃ντες τὰ καλὰ, καὶ ζητȣ̃ντες τὰ πονηρά. Eodem ſenſu ἀγαπᾷν legitur Sirac. IV, 12. ὁ ἀγαπῶν αὐτὴν (σοφίαν) ἀγαπᾷ ζωὴν· et v. 13. ſequitur ὁ κρατῶν αὐτῆς κληρονομήσει δόξαν.



IN EPISTOLAM AD TITVM.

Caput I.

v. 5. Κατὰ πόλιν] *oppidatim.* Intelligitur ἑκάστην. 1 Macc. I, 41. θυσιάζειν κατὰ πόλιν· Wesselingius ad Diod. Sic. T. II. p. 31. Zosim. V, 23. 8. ἔτοι δὲ γάμοις τοῖς κατὰ νόμον ἀπαγορεύουσι, συστήματα δὲ πολυάνθρωπα κατὰ πόλιν καὶ κώμας πληροῦσι ἀνθρώπων.

v. 6. ἀσωτίας] ἀσωτία dicitur inprimis, de *prodigalitate*, et vitiis cum ea coniunctis, *libidine, luxuria.* Aristotel. Ethic. ad Nicomach. I, 4. ἀσωτία ἐστι ὑπερβολὴ περὶ τὰ χρήματα· 2 Macc. VI, 4. τὸ μὲν γὰρ ἱερὸν ἀσωτίας καὶ κώμων ἐπεπλήρωτο ὑπὸ τῶν ἐθνῶν ῥαθυμούντων μεθ' ἑταιρῶν· *templum repletum erat libidine et comessationibus scortantium cum meretricibus.* Hinc omnino adhibetur, *de vita ad omnem turpitudinem proiecta,* Gellius N. A. VII, 11. — *et nequam hominem nihili, neque rei, neque frugis bonae, quod genus Graeci fere* ἄσωτον, ἢ ἀκόλαστον, ἢ ἀχρεῖον, ἢ ἄχρηστον, ἢ κακότροπον, ἢ μιαρὸν *dicunt.* Itaque h. l. οἱ ἐν κατηγορίᾳ ἀσωτίας (ὄντες) sunt: *quorum vitam, fama est, turpem et indecoram esse.*

v. 8. ἐγκρατῆ] oppositum ἀκρατὴς legitur 2 Tim. III, 3. Proprie ἐγκρατὴς dicitur *is, qui rei*

rei alicuius compos est, eam tenet, in sua habet potestate vllo modo, Sapient. VI, 27. καὶ ἐγκρατὴς γενόμενος, μὴ ἀφῇς αὐτὴν, *et vbi illa fueris potitus, noli eam dimittere.* 2 Macc. XIII, 13. καὶ γενέσθαι τῆς πόλεως ἐγκρατεῖς· X, 17. ἐγκρατεῖς ἐγένοντο τῶν τόπων· Sap. XV, 1. ἐγκρατὴς γνώσεως τȣ̃ νόμȣ· *qui tenet cognitionem legis.* Deinde sensu morali nominatur ita *is, qui cupiditatibus imperat* vt h. l.

v. 14. προσέχοντες Ἰȣδαϊκοῖς μύθοις] προσέχειν, scilicet τὸν νȣ̃ν, in libris scriptorum Graecorum ita positum reperitur, vt sit, *attendere, attentas et benignas aures alicui praebere.* vid. *Kypkius* ad Act, VIII, 6. Sed occurrit et eo significatu, vt sit, *fidem habere, assensum praebere.* Demosth. c. Leochar. p. 677. ed. Wolf. πότερῳ προσέχειν ὑμῶν ὡς ἀληθῆ λέγοντι. Sir, XXVIII, 17. ὁ προσέχων αὐτῇ, ȣ̓ μὴ εὕρῃ ἀνάπαυσιν· *obtemperare* Sirac. XXIII, 27. καὶ ȣ̓δὲν γλυκύτερον τȣ̃ προσέχειν ἐντολαῖς κυρίȣ, *nihil dulcius, quam obtemperare praeceptis domini.* XXXII, 24. ὁ πιστεύων νόμῳ, προσέχει ἐντολαῖς. Hoc nostro loco, vtraque notio coniungenda est, *fides habetur* Ἰȣδαϊκοῖς μύθοις. (per hos intelliguntur disputationes allegoricae subtiles, quaestiones de cibis licitis illicitisue etc. quas Paulus 1 Tim. IV, 7. nominat βεβήλȣς καὶ γραώδεις μύθȣς) *obtemperatur* ἐντολαῖς ἀνθρώπων.

v. 15. πάντα μὲν καθαρὰ κ. τ. λ.] Sir. XXXIX, 27. αἷμα σταφυλῆς, καὶ ἔλαιον, καὶ ἱμάτιον ταῦτα πάντα τοῖς εὐσεβέσιν εἰς ἀγαθὰ, ȣ̓́τως τοῖς ἁμαρτωλοῖς τραπήζεται εἰς κακά.

CAPVT II.

v. 8. ἀκατάγνωστον] ita proprie dicitur *is, qui iudicis sententia non potest condemnari, innocens,*

 sensu

ſenſu forenſi. 2 Macc. IV, 47. ἀπελύθησαν ἂν ἀκατάγνωστοι. Deinde omnino *is, in quo nihil poteſt iure reprehendi, integer vitae ſceleriſque purus* h. l.

v. 10. μὴ νοσφιζομένους] *ne defraudent heros.* Νοσφίζεσθαι *ſuffurari, de rebus alienis aliquid ſibi et in vſus ſuos auertere.* Heſychius: νοσφίζεσθαι· λανθάνειν, πλεονεκτεῖν· 2 Macc. IV, 32. χρυσώματά τινα τῶν τοῦ ἱεροῦ νοσφισάμενος, *aurea vaſa quaedam templi ſuffuratus.*

v. 13. ἐλπίδα] h. e. *vitam aeternam*, (Col. I, 5. ἐλπὶς ἀποκειμένη ἐν οὐρανοῖς· 1 Petr. I, 4. κληρονομία ἄφθαρτος — τετηρημένη ἐν τοῖς οὐρανοῖς). Nam *ſpes* ponitur h. l. pro re, quae ſperatur, vt Luc. XXI, 26. 2 Macc. VII, 14. τὰς ὑπὸ τοῦ Θεοῦ προσδοκᾶν ἐλπίδας. Sic *metus* pro re, quae metuitur, Virg. Georg. II, 491. *felix — qui* metus *omnes, et inexorabile fatum ſubiecit pedibus.*

v. 14. ζηλωτὴν καλῶν ἔργων] *virtutis, recte praeclareque factorum ſtudioſum.* Etenim ζηλοῦν et ζηλωταὶ dicuntur ii, qui ſunt rei alicuius ſtudioſi, qui rem aliquam diligenter et curioſe ſectantur, vt 2 Macc. IV, 2. ζηλωτὴς τῶν νόμων, *legis ſectator acerrimus.* Sir. LI, 24. καὶ ἐζήλωσα τὸ ἀγαθόν. vid. *Lennep.* ad Phalaridis epiſt. p. 46.


CAPVT III.

v. 3. πλανώμενοι] verbum πλανᾶσθαι adhibetur proprie de viatoribus, qui a recta via, Gen. XXXVII, 14. πλανώμενον ἐν τῷ πεδίῳ, in textu hebraico extat תעה, de ouibus, qui a reliquo grege aberrarunt. Ieſ. XIII, 14. καὶ ὡς πρόβατον πλανώμενον· Deinde vero tropice ponitur de iis, qui a veritate defecerunt, in errore verſantur, Sapient. V, 6. ἄρα ἐπλανήθημεν ἀπὸ ὁδοῦ ἀληθείας. II, 21. Et in

in literis ſacris quidem verbum כרה cui reſpondet graecum πλανᾶσθαι inprimis frequentatur *de iis qui idola colunt.* Deut. XXX, 17. καὶ πλανηθεὶς προσκυνήσῃς θεοῖς ἑτέροις· IV, 19. μήποτε πλανηθεὶς προσκυνήσῃς αὐτοῖς· Hoc eodem ſenſu etiam noſtro loco poſitum eſt; πλανώμενοι ſunt Apoſtolo ii, *qui deos alienos colunt.*

v. 6. ἐξέχεεν] Theophylactus: δαψιλῶς τȣ̃τȣ μετέδωκεν, *largiter tribuit, conceſſit.* Etenim χέειν, quod vt verba compoſita inde deducta, proprie de aquis omninoque rebus liquidis, quae effunduntur, profunduntur, vſurpatur; (1 Macc. I, 37. καὶ ἐξέχεαν αἷμα ἀθῶον κύκλῳ τȣ̃ ἁγιάσματος· *et profuderunt ſanguinem innocentem circa templum.* Sirac. XLIII, 19. καὶ πάχνην ὡς ἅλα ἐπὶ γῆς χέει, *et pruinam ſicut ſalem in terram demittit)* ponitur deinde de omnibus rebus, quae largiter et copioſe tribuuntur vt h l. Sirac. XV, 11. ἐξέχεεν ἐπ᾽ αὐτȣ̀ς τὸ ἔλεος αὐτȣ̃· Hom. Il. ε, 618. τρῶες δ᾽ ἐπὶ δȣ̃ρατ᾽ ἔχευον Ὀξέα· vbi Schol. min. ἔχευον· δαψιλῶς ἔπεμψαν, ἐπέχυον ἀθρόως· ἡ μεταφορὰ ἀπὸ τῶν ὑγρῶν· Ita quoque Hebraei vtuntur verbo שׁפך de larga impertitione, bono ſenſu Ioel. III, 1. malo vero, Hoſ. V, 10. Zephan. III, 8. et Latini verbo *effundere,* Virg. Aen. II, 651. *nos contra* effuſi *lacrymis.* Cic. pro Roſc. Amer. c. 8. *non pauca ſuis adiutoribus large* effuſeque *donabat.* Virg. Ecl. IV, 20. *ipſa tibi blandos* fundent *cunabula flores.* Georg. II, 460. fundit *humo facilem victum iuſtiſſima tellus.* Sil. Ital. I, 326. *fundere ſpicula.* V, 214. *fundere pilorum nimbum.*

IN



IN EPISTOLAM AD PHILEMONEM.

v. 7. Χάριν] *laetitiam, gaudium.* Hesychius: Χάρις· χαρά· Suidas: Χάριν· τέρψιν. *Matthaeus* V. C. ad h. l. e Lex. MS. affert: χάρις· ἡ χαρὰ παρὰ τῷ ἀποςόλῳ· ἵνα δευτέραν χάριν ἔχητε respicit 2 Cor. I, 15. Erotianus p. 390. ed. Lipſ. χάριτες αἱ χαραὶ, ὡς καὶ Σοφοκλῆς ἐν ἐλεγείᾳ etc. Tob. VII, 20. ὁ κύριος τȣ̃ ȣ̓ρανȣ̃ καὶ τῆς γῆς δώῃ σοι χάριν ἀντὶ τῆς λύπης ταύτης. Eurip. Hippolyt. v. 1048. ὄλωλα τέκνον, ȣ̓δέ μοι χάρις βίȣ· v. *Kypkius* ad 2 Cor. I, 15. Col. III, 16. ἐν χάριτι, *lubenter, laeti, hilares.* Non ergo audiendi videntur eſſe ii, qui codd. auctoritate commoti χάριν in χαρὰν mutandum eſſe h. l. praecipiunt, cum χαρὰ ſit gloſſema.

v. 11. ἄχρηςον] *nocivum, pernicioſum.* Solent nimirum ſcriptores diuini, vt praeclare monuit *Fiſcherus* Proluſſ. de vitiis Lexx. N. T. p. 567. non minus quam reliqui ſcriptores graeci et latini eo vti diminutionis genere, vt ponant verba contraria eorum, quae ſignificare velint, ita vt iis particulas negandi adiungant. Sic Hebr. XIII, 17. ἀλυσιτελὲς, *vehementer damnoſum, et pernicioſum.* Sap. XV, 4. πόνος ἄκαρπος *labor maxime improbus.* Sir. XVI, 1. τέκνων πλῆθος ἀχρήςων· Epheſ. V, 11. ἄκαρπος.

IN



IN PRIOREM EPISTOLAM PETRI.

Capvt I.

v. 1. Διασπορᾶ] sunt fideles ex Iudaeis dispersis inter gentes. Sic Tob. XIII, 3. confitemini Deo, filii Israel coram gentilibus, quia ipse διέσπειρεν ἡμᾶς ἐν αὐτοῖς· et 2 Macc. I, 27. congrega τὴν διασπορὰν ἡμῶν· *Henke.* Sed hoc ipso loco e Macc. Lib. II. ab Henkio allato, vt h. l. διασπορὰ est abstractum pro concreto, atque παρεπιδήμοις διασπορᾶς Πόντου positum est pro, ἐπιδ. διεσπαρμένοις ἐν τῷ Πόντῳ· Ita quoque scripserunt Alexandrini Ps. CXLVII, 2. καὶ τὰς διασπορὰς τοῦ Ἰσραὴλ.

v. 4. ἀμίαντον ἀμάραντον] *intaminatam,* (Horat. Od. II, 2. 18.) *non marcescentem* h. e. *perpetuo duraturam.* Infra V, 4. τὸν ἀμαράντινον τῆς δόξης στέφανον· Sed ἀμίαντον vocatur proprie id quod purgatum, purum, intaminatum est, vt 2 Macc. XIV, 36. διατήρησον ἀμίαντον τὸν κεκαθαρισμένον οἶκον· XV, 34. Deinde tropice ita nominatur, *quicquid suo in genere integrum est, et perfectum,* vnde ἀμίαντος Sapient. III, 13. dicitur matrona *casta,* eique VIII, 20. tribuitur corpus ἀμίαντον, *castum;* h. l. ἀμίαντος κληρονομία, *felicitas integra,* est ea, quae non interrumpitur, non minuitur, sed fine

sine intercapedine, eadem semper manet, ergo *perpetuo duratura.* Haec eadem vis et potestas est voc. *ἀμάραντον, non marcescens — perpetuo durans,* vt Sapient. VI, 12. vbi σοφία vocatur λαμπρὰ καὶ ἀμάραντος· Itaque adiunxit Apostolus vocabulo proprio ἄφθαρτος, duo vocabula impropria eundem sensum exprimentia, vt sic exhauriretur notio felicitatis summae, perfectissimae perpetuoque duraturae.

v. 7. *τὸ δοκίμιον ὑ. τ. πίστεως πολὺ τιμιώτερον χρυσίου*] δοκιμάζειν, δοκιμὴ, δοκιμασταὶ, δοκίμιον, δόκιμος sunt vocabula de metallorum exploratoribus propria. Nam δοκιμάζειν notat, nummos spectare, falsos et adulterinos a genuinis et veris diiudicare et distinguere, et ii, qui hoc faciunt, dicuntur δοκιμασταὶ siue ἀργυρονώμονες, *probatores, spectatores,* (Hesychius: ἀργυρογνώμονες· τραπεζῖται, δοκιμασταί·) Atque δοκίμιον indicat id, quo aliquid probatur, v. c. catillum, quo metalla coquuntur, Prou. XXVII, 21. δοκιμὴ, probationem metallorum ipsam, et δόκιμον, id quod probatum est, v. c. χρυσίον δόκιμον, 2 Chron. IX, 17. — H. l. δοκίμιον, quod metaphorice legitur, positum est pro δοκιμὴ, vt Iacob. I, 3. *exploratio vestra* i. e. fidei vestrae, (nam explicationis caussa additur πίστεως) h. e. ex Hebraismo, *πίστις δοκιμαζομένη, fides explorata,* sit, *τιμιωτ. χρυσίου, auro reperiatur pretiosior.* Haec imago saepius adhibetur, vt Sirac. II, 5. ὅτι ἐν πυρὶ δοκιμάζεται χρυσὸς, καὶ ἄνθρωποι δεκτοὶ ἐν καμίνῳ ταπεινώσεως, quae vltima verba respondent verbis v. 5. λυπηθέντες ἐν ποικίλοις πειρασμοῖς.

v. 24. *διότι πᾶσα σὰρξ κ. τ. λ.*] Verba, quae leguntur Ies. XL, 6, 7. laudauit Apostolus, atque in suam rem transtulit. Alexandrini vertunt: πᾶσα σὰρξ χόρτος, καὶ πᾶσα δόξα ἀνθρώπου, ὡς ἄνθος

χόρτȣ. Ἐξηράνθη ὁ χόρτος, καὶ τὸ ἄνθος ἐξέπεσε· Nimirum propheta Iudaeis in exilio Babylonico verſantibus promittit liberationem a calamitatibus et exilio; et vt doceat, hanc promiſſionem diuinam certiſſime eſſe euenturam, ita v. 5. et 6. pergit: ſaepe quidem homines inconſtantes ſunt in ſeruandis promiſſis, nam potentia eorum eſt arctis limitibus circumſcripta, fauor eorum mutabilis, ſed Ioua eſt potentiſſimus, conſtantiſſimus, ergo ſpem veſtram omnem in eo reponite. vid. libell. noſtr. *Meſſianiſche Weiſſungen des A. T. S.* 152. Hoc vero noſtro loco, ſenſus eſt: religio chriſtiana, vna cum ſuis commodis et ornamentis perpetuo durat, nam diuinae, non humanae originis eſt, Dei autem effata omnia ſunt in aeternum vera. Caeterum ſimilis locus, vbi etiam fragilitas hominum, cum floribus caducis et breui interituris comparatur, eſt Sirac. XIV, 18. ὡς φύλλον θάλλον ἐπὶ δένδρȣ δάσεος, τὰ μὲν καταβάλλει, ἄλλα δὲ φύει· ὅτως καὶ γενεὰ σαρκὸς καὶ αἵματος, ἡ μὲν τελευτᾷ, ἑτέρα δὲ γεννᾶται.

CAPVT II.

v. 12. δοξάσωσι τὸν Θεὸν ἐν ἡμέρᾳ ἐπισκοπῆς] nomen ἐπισκοπὴ adhibetur inprimis de iudicibus, iisque, qui iudicis perſonam agunt, atque notat *inquiſitionem, explorationem.* Sapient. III, 13. ἕξει καρπὸν ἐν ἐπισκοπῇ ψυχῶν· Hinc ſignificat *cognitionem ipſam.* Sapient. II, 20. ἔςαι γὰρ αὐτȣ̃ ἐπισκοπὴ ἐκ λόγων αὐτȣ̃· cognoſcetur *qualis ſit, ex ipſius ſermonibus.* Hinc denique indicat id, quod inquiſitionem et cognitionem ſequitur, nempe vel *remunerationem*, vel *vindictam*, Sap. XIX, 14. ἐπισκοπὴ ἔςαι αὐτῶν· vbi *poenam* ſignificat, Sir. XVIII, 20. ἐν ὥρᾳ ἐπισκοπῆς εὑρήσεις ἐξιλασμόν,

μὸν, tempore vindictae s. poenae seruaberis. Hesychius: ἐπισκοπή· ἐκδίκησις. Hoc loco eam significationem, quam primo loco posui, admittendam esse censeo, atque intelligo tempus inquisitionis, tempus quo magistratus gentiles in Christianos, quos persequuntur, inquirent. Atque haec interpretatio vel propterea mihi sese commendat, quoniam sic omnia facile praeclareque inter se cohaerent, et quoniam in proxime sequentibus de magistratibus sermo est. Confirmare videtur quoque eam Syrus interpres, qui vertit nostra verba: ܒܝܘܡܐ ܕܒܘܚܪܢܐ i. e. *in die probationis*, quasi legisset ἐν ἡμέρᾳ δοκιμασίας, nam voce ܒܘܚܪܢܐ vsus etiam est 1 Petr. I, 7. Sensus autem loci ita constituendus videtur: vitae honestae inter gentiles viuentes, sitis studiosissimi, vt, cum vos tanquam facinorosos accusant, et in vestram vitam hactenus actam inquirunt, propter virtutem vestram, ea cognita, Deum celebrent; δοξάσωσι τὸν Θεὸν, hoc fieri poterat, vel dum gentiles illi ipsi religionem christianam suscipiebant, vel saltem agnoscere et profiteri debebant, christianos esse homines pios et probos.

v. 13. ὑποτάγητε ἐν πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει] Ven. *Pottius*, cum aliis interpretibus πάσῃ κτίσει explicat πᾶσι ἀνθρώποις· quamquam vero haec interpretatio possit fortasse etiam quodammodo confirmari loco Eph. V, 21. ὑποτασσόμενοι ἀλλήλοις ἐν φόβῳ κυρίου· fateor tamen hanc interpretationem mihi non satisfacere, cum in sequentibus, non nisi de regibus atque magistratibus sermo sit, atque verba εἴ τε βασιλεῖ — εἴ τε ἡγεμόσι explicationem continere videantur verborum πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει· Et profecto si haec fuisset Apostoli mens, si voluisset christianos suos cohortari ad obsequium praestandum

omnibus

omnibus hominibus, ſcripſiſſet ſimpliciter πᾶσι ἀνθρώποις, non vero πάσῃ ἀνθ. κτίσει, ſine vlla probabili ratione. Itaque exiſtimo potius, κτίσις eſſe h. l. vocabulum commune, quo omnis generis magiſtratus comprehendantur, quod vel patet ex addito πάσῃ h. e. *omnis generis*, vt Eph. IV, 19, V, 3. Scilicet verbum κτίζειν notat *creare, inſtituere, conſtituere.* Sir. VII, 6. γεωργίαν ὑπὸ ὑψίϛȣ ἐκτισμένην, *agriculturam a Deo inſtitutam.* Et κτίϛαι dicuntur non tantum conditores vrbium, coloniarum, ſed etiam legum. v. quos laudauit *Trillerus* Obſſ. Critt. p. 201. Ergo κτίσις ἀνθρ. eſt *conſtitutio humana* h. e. magiſtratus ab hominibus inſtituti, idem quod aliis in locis ἐξȣσίαι· ita quoque ad h. l. Oecumenius: κτίσιν ἀνθρωπίνην τὰς ἀρχὰς καλεῖ τὰς χειροτονητὰς ὑπὸ τῶν βασιλέων, ἢ καὶ αὐτȣ̀ς τȣ̀ς βασιλεῖς, καθότι καὶ αὐτοὶ ὑπὸ ἀνθρώπων ἐτάχθησαν, ἤτε ἐτέθησαν· οἶδε γὰρ ἡ γραφὴ τὴν θέσιν κτίσιν καλεῖν· h. e. ἀνθρ. κτ. *vocat magiſtratus a regibus ordinatos, vel etiam ipſos reges, quoniam illi quoque ab hominibus ordinati vel conſtituti ſunt. Solet enim ſcriptura ordinationem vocare* κτίσιν. Etſi vero etiam haec vocabuli κτίσις ſignificatio non multis confirmari poteſt exemplis; tamen cum eam contextus poſtulet, neutiquam eſt repudianda, cum etiam aliis permultis in locis N. T vocabula paulo inſolentius adhibita legantur.

v. 21. ὑπολιμπάνων ὑπογραμμὸν] *reliquit nobis exemplar.* Ὑπογραμμὸς h. l. id. qd. ὑπόδειγμα h. e. *exemplum ad imitandum propoſitum*, 2 Macc. VI, 31. τὸν ἑαυτȣ̃ θάνατον ὑπόδειγμα γενναιότητος. Hoc noſtro loco ſermo eſt, de conſtantia, patientia, virtute Chriſti imitanda.

v. 22. οὐδὲ εὑρέθη] *non erat.* Hebraeis enim dicitur *inueniri*, quod eſt; *non inueniri*, quod non eſt. Mal. II, 6. לא־נמצא οἱ ὁ· οὐχ εὑρέθη· add. Gen. II, 20. Et ita quoque εὑρίσκεσθαι pro εἶναι Luc. XVII, 18. Gal. II, 17. Sir. XLIV, 20. ἐν πειρασμῷ εὑρέθη πιστός.

v. 24. οὗ τῷ μώλωπι ἰάθητε] μώλωψ proprie eſt, *vibex, liuor, veſtigium plagarum*, Sir. XXVIII, 17. πληγὴ μάστιγος ποιεῖ μώλωπας. Heſychius: μώλωψ τραῦμα, καὶ ὁ ἐκ πληγῆς αἱματώδης τόπος, ἢ καὶ τὰ ἐξερχόμενα τῶν πληγῶν ὕδατα· Deinde vero ponitur etiam *de doloribus, cruciatibusque quibuſuis.* Iudith. IX, 13. εἰς τραῦμα καὶ μώλωπα αὐτῶν· *ad eos vulnerandos et cruciandos.* H. l. ſenſus eſt: Chriſti dolores vobis ſalutem attulerunt.

Caput III.

v. 21. συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεὸν] *ſponſio, promiſſio conſcientiae recte factorum Deo data*, nam εἰς Θεὸν poſitum eſt pro τῷ Θεῷ ſcilicet ποιηθέν. Ἐπερώτημα autem, proprie eſt *interrogatio*, id. qd. ἐπερώτησις· Sicut verba ἐπερωτᾶν atque ἐρωτᾶν proprie notant, *interrogare.* Sed quia Hebraei verbo שָׁאַל interrogauit, ita vſi ſunt, vt ſignificaret *petere, rogare*, v. Iudd. V, 25. 1 Sam. I, 20. factum eſt, vt illa graeca verba a N. T. ſcriptoribus adhiberentur de iis quoque, qui ab altero ſibi aliquid expetunt, vt adeo ἐρωτᾶν et ἐπερωτᾶν notarent *petere*, Matth. XV, 23. XVI, 1. Luc. VIII, 37. Iam quoniam ſponſiones, foedera, contrahi ſolebant interrogationibus, inde factum eſt, vt ἐπερώτημα notaret quoque *ſponſionem, promiſſionem*, vt Sirac. XXXVI, 3. ἄνθρωπος συνετὸς ἐμπιστεύει νόμῳ, καὶ ὁ νόμος αὐτῷ πιστὸς, ὡς ἐρώτημα δικαίων· i. e. *legibus*

con-

constanter obtemperat, *quemadmodum probi et religiosi sponsionem*, *promissionem seruant*. Sic h. l. ἐπερώτημα est promissio; sponsio, te velle vitam sanctam agere, et ita tibi conscientiam recte factorum conseruare. — Caeterum Alexandrini interpretes vocabulum ἐπερώτημα vsurparunt quoque Dan. IV, 14. vbi in textu legitur nomen שְׁאֵלְתָא verba sunt: ὁ λόγος καὶ ῥῆμα ἁγίων τὸ ἐπερώτημα· quo loco nuperrime Ven. *Schleusnerus*, alios interpretes secutus, vsus est, vt demonstraret ἐπερώτημα significare *petitionem*, *postulationem*, *rogationem*, sed, si quid video, haec notio huic vocabulo illo in loco non inest; notat potius ibi, *decretum*, *iudicium*, nam v. 21. pro λόγος, ῥῆμα, et ἐπερώτημα dicitur σύγκριμα (h. e. κρίμα) ὑψίϛȣ.

CAPVT IV.


v. 4. ξενίζονται] De vi ac potestate verbi ξενίζειν disputauimus iam ad Act. XVII, 20. ac vidimus illud etiam significare *hospitio excipere*, adeoque ξενίζεσθαι *hospitio excipi*. H. l. autem significat *admirari*; solent enim hospites ac peregrinantes, domus, portus, monumenta, aliaque prius minime visa contemplantes, rei nouitate ac insolentia perculsi, admirari. Hinc etiam auctor Etymol. M. ξενίζομαι explicuit per θαυμάζω· Et versio Syriaca, quae habet h. l. verbum ܬܗܪ exprimit hoc ipso verbo graecum θαυμάζω Act. VII, 31. Matth. VIII, 10.

CAPVT V.

v. 4. τὸν ἀμαράντινον τῆς δόξης ϛέφανον] *coronam splendidam non marcescentem*, h. e. praemia vberrima, maxima, felicitatem summam perpetuoque duraturam. Nimirum ϛέφανος τῆς δόξης idem

est quod στέφανος ἔνδοξος· sed δόξα est h. l. *splendor*, vt Sirac. XLIII, 11. κάλλος ὀρανȣ̃ δόξα ἄστρων· L, 7. ἐν νεφέλαις δόξης· Alluditur h. l. ad coronas, quae victoribus certaminum praemii loco dari solebant. Commemoratur *corona amarantina*, sed *amarantus* purpureus (hinc h. l. τῆς δόξης) auctore Dioscoride IV, 47. est certum quoddam florum genus, ita dictum, quod flores eius non marcescant. Plin. H. N. XXI, 8. *mirum in eo gaudere decerpi, et laetius renasci, mirumque postquam defecere cuncti flores, madefactus aqua reuiuiscit, et hybernas coronas facit. Summa, eius natura in nomine est, appellato, quoniam non marcescit.* H. l. autem hac omni imagine felicitas summa (τῆς δόξης) eademque constans ac perpetua exprimitur.

IN



IN EPISTOLAM PETRI POSTERIOREM.

CAPVT I.

v. 15. Ἔξοδον] scilicet τȣ̃ βίȣ· *exitum ex hac vita, mortem.* Sap. VII, 6. μία δὲ πάντων εἴσοδος εἰς τὸν βίον, ἔξοδός τε ἴση· Hoc sensu vtuntur quoque Latini vocabulo *exitus*, Corn. Nep. XIX, 4. 3. *hunc* exitum *plerique habuerunt.* Suet. Aug. c. 100. *a primo die natali ad* exitum *eius.* Iuuenal. Sat. X, 127. exitus *ille vtcunque Hominis.* Apud scriptores antiquos autem, vocabulum ἔξοδος nusquam de morte legi, contra *Elsnerum*, monuit *Valckenarius* ad Eurip. Phoenn. v. 766.

v. 20. ἰδίας ἐπιλύσεως ȣ̓ γίνεται] sensus est: omnis scripturae prophetia non est propriae solutionis siue interpretationis h. e. non humanis viribus proprioue ingenio explicanda est, coll. Marc. IV, 34. ἐπέλυε *explicabat.* Ioh. V, 39. 40. Apoc. V, 4. coll. 3 Esdr. IX, 46. vbi Esdras dicitur λῦσαι τὸν νόμον, *soluisse legem.* Quid vero λῦσαι τὸν νόμον aliud, quam *explicare*, *interpretari*, *commentari.* Et in stilo Rabbinorum v. c. *Abarbanelis* nihil frequentius est, quam התרה siue, *solutio quaestionum et dubiorum* ab התיר *soluere*, vid. *Buxtorf.* Lex. Talm. p. 1410. *Henke.* — Hebraicum verbum פתר Gen. XLI, 12. Alexandrini, (qui illud aliis in locis per

 συγ-

συγκρίνειν interpretantur) reddiderunt ἐπιλύειν, sed sermo ibi est, de interpretatione somniorum. Ita quoque *soluere* pro, explicare, legitur apud Manil. Astron. I, v. 102. Iam h. l. προφητ. ἰδ. ἐπιλ. ὠ γίνεται positum est pro, ὠκ ἐςὶ ἰδ. ἐπιλ. scilicet ἔργον, *nullum oraculum est propriae interpretationis opus* h. e. non est proprio ingenio, proprio arbitratu explicandum, sed debet historia et euentus respici, huius ope sensus eorum indagari et perspici potest. Hanc interpretationem ipsa etiam orationis series confirmat. Versatur enim Apostolus in eo, vt Christianos cohortetur ad constantiam in religione christiana, et ad vitam huic religioni consentaneam, vt eos roget, velint falsos doctores, Iesum, Messiam esse negantes, eorumque errores et commenta fugere atque negligere; non enim Christi doctrinam nugis fabulisque niti; sed Apostolos ipsius amicos, testes fuisse oculares rerum ab ipso gestarum; sed ipsa V. T. oracula confirmare ea, quae de Christo eiusque disciplina Apostoli tradant. Haec vero, inquit, vaticinia, non possunt pro lubitu (ἴδιον dici etiam de eo, quod *arbitrarium* est, docuit ad h. l. *Loesnerus*) explicari, id quod facere solent illi falsi doctores, sed euentus respici debet, nec ipsi prophetae pro lubitu oracula edebant, sed adiuuante, volente, Deo, adeo vt eorum oracula sint maximi facienda, et pro diuinis habenda.

CAPVT II.

v. 9. οἶδε — ἐκ πειρασμῦ ῥύεσθαι] *potest* (vt Luc. XII, 56. Phil. IV, 12.) *ab omnis generis calamitatibus liberare.* Πειρασμὸς est h. l. *calamitas*, sic Sirac. XXXIII, 1. τῷ φοβυμένῳ τὸν κύριον, ὐκ ἀπαντήσει κακὸν, ἀλλ᾽ ἐν πειρασμῷ καὶ πάλιν ἐξελεῖται· permutantur ergo h. l. inter se κακὸν et

πειρασ-

πειρασμός· Sirac. II, 1. *ἑτοίμασον τὴν ψυχήν σου εἰς πειρασμόν*· Tobiae caecitas, in libr. Tob. II, 12. XII, 3. vocatur *πειρασμός*.

v. 20. *τὰ μιάσματα τοῦ κόσμου*] nomen *μίασμα* ponitur de pollutione et inquinamento quocunque, vt de ſcortatione, Iudith. IX, 2. *οἳ ἔλυσαν μήτραν παρθένου εἰς μίασμα*· de inquinatione per effuſionem ſanguinis, ib. v. 4. *καὶ ἐβδελύξαντο μίασμα αἵματος αὐτῶν*· de profanatione arcis, 1 Macc. XIII, 50. *καὶ ἐκαθάρισε τὴν ἄκραν ἀπὸ τῶν μιασμάτων*· Sed quoniam vitia et ſcelera cogitantur tanquam inquinamenta animi, 1 Cor. VII, 1. hinc *μιάσματα* ipſa *ſcelera* et *vitia* vocantur h. l. et ita legitur *μιασμὸς* Sapient. XIV, 26. *χάριτος ἀμνηστία ψυχῶν μιασμός*, *ingratitudo eſt animorum inquinatio*.

CAPVT III.

v. 10. *ῥοιζηδὸν παρελεύσονται*] *ῥοῖζος* dicitur ſtridor quicunque paulo vehementior, vt ſtridor ſagittarum, Hom. Il. *π'*, 361. de curru cum impetu praeteruehente 2 Macc. IX, 7. *συνέβη δὲ καὶ πεσεῖν αὐτὸν ἀπὸ τοῦ ἅρματος φερομένου ῥοίζῳ*· de auibus volantibus Sapient. V, 11. Hinc *ῥοιζηδὸν cum impetu, ſtridore*, id. qd. *μετὰ ῥοίζου*.



IN EPISTOLAM AD HEBRAEOS.

CAPVT I.

v. 3. Ἀπαύγασμα τῆς δόξης αὐτȣ̃] vocabulum ἀπαύγασμα, quod in libris N. T. non nisi h. l. legitur, nec ab vllo interpretum graecorum V. T. vsurpatum est, notat *refractionem lucis et splendoris*, (sicut ἀπήχημα *refractionem soni*) et *radium solis*. Hesychius ἡλίȣ φέγγος. Deinde indicat etiam *ipsum corpus radiis illis illustratum*, eosque repercutiens, atque inde formatam *imaginem*. Quaenam h. l. huic vocabulo tribuenda sit significatio, docet contextus. Iungitur ei tanquam synonymum vocabulum χαρακτὴρ, quod Hesychius exponit ὁμοίωσις i. e. *similitudo*, *imago*, (hebraice, דְּמוּת οἱ ὁ Gen. V, 1. κατ' εἰκόνα· sed Gen. I, 26. καθ' ὁμοίωσιν) et Chrysost. ad h. l. τὸ ὅμοιον εἶναι κατὰ πάντα. Itaque ἀπαύγασμα est h. l. *imago*, idem quod εἰκών. Hanc vero interpretationem praeclare confirmat locus Sapient. VII, 26. vbi sapientia vocatur ἀπαύγασμα φωτὸς ἀϊδίȣ h. e. *Dei* (nam Hebraei comparare solebant Deum cum lumine, splendorem vbique spargente; vid. *Heinrichs* V. Cl. ad h. l.) et additur εἰκὼν τῆς ἀγαθότητος αὐτȣ̃· ergo permutantur ibi inter se εἰκὼν et ἀπαύγασμα. Christus autem ipse diserte vocatur εἰκὼν τȣ̃ Θεȣ̃ τȣ̃ ἀοράτȣ,

τȣ, Col. I, 15. Caeterum h. l. δόξα et ὑπόςασις αὐτȣ͂ s. Θεȣ͂ est, *Deus ipse*, atque adeo verborum sensus existit hic: *est imago Dei perfectissima.* Perfectionis enim notionem nomina eiusdem significatus ἀπαύγασμα et χαρακτὴρ iuncta, exprimunt. Conf. praeterea *Casaubonus* ad Theophr. Charactt. p. 7 sq. vbi de vocis χαρακτὴρ valore fusius egit.

v. 9. ἔχρισέ σε ὁ Θεὸς — παρὰ τȣ̀ς μετόχȣς σȣ] χρίειν cum de hominibus ponitur, notat, *caput alicuius, aliasque corporis partes, oleo* et *vnguentis imbuere*, atque *delibuere*, siue id fiat perfundendo, vel conspergendo, et infricando, siue illinendo; quae sunt verba *Fischeri* Prolusl. de vitiis Lexx. N. T. p. 354. Iam quoniam *reges* etiam vngi solebant, significat etiam *regem creare, constituere.* Sirac. XLVI, 13. Σαμȣὴλ προφήτης κυρίȣ, κατέςησε βασιλείαν, καὶ ἔχρισεν ἄρχοντας ἐπὶ τὸν λαὸν αὐτȣ͂· *Samuel, propheta Dei, condidit regnum et constituit reges.* Sed vnctio erat omnino etiam signum honoris, excipiebantur vnctione conuiuae, cf. etiam Ioh. XII, 3. sqq. hinc χρίειν, cum ei iungitur aliud nomen, notat etiam, *ornare, instruere*, Act. X, 38. ἔχρισεν αὐτὸν ὁ Θεὸς πνεύματι ἁγίῳ καὶ δυνάμει, *instruxit, exornauit eum Deus vi patrandi miracula* (nam πν. ἁγ. et δύν. sunt h. l. synonyma, vt Luc. I, 35.). Atqui h. l. adiecta sunt verba: ἔλαιον ἀγαλλιάσεως quod positum est pro ἐν ἐλαίῳ ἀγ. (Sir. XLV, 18. ἔχρισεν αὐτὸν ἐν ἐλαίῳ ἁγίῳ.) Sed ἐν ἐλ. ἀγ. idem est quod ἐν ἀγαλλιάσει, et ἐν ἐλαίῳ additum est, quoniam vnctio, vnde h. l. imago desumta est, fieri solebat oleo (Hesychius: ἀλεῖψαι· ἐλαίῳ χρῖσαι). Itaque *ornare aliquem oleo laetitiae*, est, laetitia aliquem ornare, laetitiam alicui praebere; nihil amplius; atque sensus est: *te omnium regum felicissimum, maximum reddidit*, nam per τȣ̀ς μετό-

 χȣς,

χȣς, cum de rege h. l. sermo sit, intelligendi sunt, *dignitatis regiae socii, reliqui reges*.

CAPVT III.

v. 3. τȣ̃ οἴκȣ ὁ κατασκευάσας αὐτὸν] κατασκευάζειν in genere dicitur de iis, qui vllo modo *auctores alicuius rei* sunt, hinc dicitur de iis, qui nauem exstruunt, 1 Petr. III, 20. omninoque de artificibus; Phauorinus: κατασκευάζω· ἐπὶ τῶν τεκτόνων, τὸ δημιȣργῶ· de Antiocho, qui per continua bella regionem vastauerat, 1 Macc. III, 29. χάριν τῆς — πληγῆς ἧς κατεσκεύασεν ἐν τῇ γῇ, *propter vastationem regionis, cuius auctor erat*. Alexandrini Ies. XLV, 7, coniungunt tanquam synonyma κατασκευάζειν et ποιεῖν, ἐγὼ ὁ κατασκευάσας φῶς, καὶ ποιήσας σκότος, vbi κατασκευάζειν reddi debet, *creare*. H. l. ὁ κατασκευάσας οἶκον, est *auctor, conditor*, adeoque ex adiuncto *dominus familiae*, vno verbo *paterfamilias*. Vocatur ita Christus. Nempe in familia, primum locum obtinet paterfamilias, familiae auctor, hunc honore et potestate aequiparat filius primogenitus; post hunc plurimum dignitatis habet seruus ille, qui vocatur οἰκόνομος, *rei familiaris administrator*. Auctor vero epistolae nostrae, qui sciebat, filium arctissime esse cum patre coniunctum, eius doctrinam et institutionem, esse patris doctrinam; non dubitat nunc, tantum discriminis inter Mosen, et Christum filium ponere, quantum intersit inter patremfamilias ipsum, et reliquos seruos. Eatenus ergo scripsit: *ille* (Christus) *tantum superat dignitate Mosen, quantum familiae ipsi praestat paterfamilias*.

v. 11. εἰ εἰσελεύσονται εἰς τὴν κατάπαυσίν μȣ] *non* (de hoc vsu voculae εἰ v. cl. *Heinrichs* ad h. l.) *peruenient ad quietem meam*. Inest formulae

κατά-

καταπαυσις τȢ ϑεȢ dilogia, vnde ipſe locus noſter paulo obſcurior et impeditior. Nimirum κατάπαυσις *quies*, in genere hac in orationis ſerie, notat *felicitatem*. Etenim quies eſt perpetua in literis ſacris felicitatis imago. Sapient. IV, 7. δίκαιος δὲ ἐὰν φθάσῃ τελευτῆσαι, ἐν ἀναπαύσει ἔσαι. Sirac. LI, 27. καὶ εὗρον ἐμαυτῷ πολλὴν ἀνάπαυσιν, *magnam ſum conſecutus felicitatem*, coll. v. 28. Sic infra IV, 9. σαββατισμὸς, quod vocabulum quoque vſurpatur de *quiete* (Ioſeph. Ant. I, 1. 1. δηλοῖ δὲ (σάββατα) ἀνάπαυσιν κατὰ τὴν Ἑβραίων διάλεκτον τὸ ὄνομα cf. Ven. *Schleuſneri* Lex. N. T. ſ. vocc. σαββατισμὸς, et σάββατον) notat *felicitatem*. Iam reſpicitur a ſcriptore noſtro locus Pſ. XCII. atque ibi καταπαυσις τȢ ϑεȢ eſt, *quies*, *felicitas* h. e. ſecura et tranquilla Palaeſtinae poſſeſſio, (coll. Pſ. XCV, 11. coll. Num. XIV, 21. 22. XXXII, 10.) *quam Deus deſtinauit* (ſic Sir. VI, 28. ἀνάπαυσις τῆς σοφίας, *tranquillitas, quam efficit ſapientia*) *Iudaeis*, et ſic auctor epiſtolae quoque verba Pſalmi intellexit, omninoque vſque ad cap. IV, 3. formulam κατάπαυσις τȢ ϑεȢ eo ſenſu ſumſit; *felicitas, quam Deus largitur*. Sed inde a cap. IV, 3. κατάπ. τ. Θ. ei eſt, *quies* i. e. *felicitas ſumma, qua Deus perfruitur*, coll. v. 10. atque chriſtiani peruenire dicuntur ad quietem Dei, quatenus conſequuntur, participes fiunt, felicitatis ſummae, perpetuae. — Aliter nuperrime Ven. *Griesbachius*, in libello perquam erudite conſcripto; „*quid Ebr.* III, 7. — IV, 11. *καταπαύσεως ϑεȢ imagine adumbretur, diſquiritur* (Ienae 1792. 4.)" vocabulum καταπ. ſumſit. Animadvertit enim Vir Summus rebusque noſtris cum maxime fauens, in formula κατάπαυσιν τ. ϑ. vitae futurae beatitatis notionem, prorſus abeſſe h. l., cum huius vitae acerbitates et aerumnae non poſſint comparari

parari cum operibus, a quibus quieuiſſe ſeu ceſſaſſe Deus ſeptima illa die narratur, coll. IV, 9. 10. potius indicari cenſet ceſſationem ab operibus Moſaicae legis, quietem ac liberationem a iugo ceruicibus Iudaeorum impoſito, quod neque patres eorum, nec ipſi ferre poterant. Statuit ergo, formulam hanc κατάπ. τȣ̃ Θεȣ̃ non ſolum aliter ſumi loco Pſalmi, ſed etiam aliter in loci huius ad Ebraeos applicatione, et alio quidem ſenſu in priore applicationis particula, alio in poſteriore. Priore parte, quae vſque ad C. IV, 3. protenditur, aſſentitur iis, qui κατάπαυσιν *felicitatis* imaginem eſſe contendunt, et quidem in genere felicitatis, quam Chriſto cum in hac tum in altera vita debeamus. Sed poſteriore parte liberationem a iugo legis Moſaicae. Haec quidem quamquam ſatis ingenioſe et eleganter diſputata ſunt, quamquam in reliquis ad h. l. notatis ei libenter accedo; tamen ſententia eorum interpretum, qui κατάπαυσιν de felicitate ſumma explicant, magis ſeſe ſimplicitate commendare mihi videtur; neque etiam aliena videtur mihi a ſcribendi indole ſcriptoris noſtri paulo ſane durior illa comparatio inſtituta inter liberationem a vitae curis, moleſtiiſque, et quietem Dei die ſeptimo, coll. c. IV, 9. ſqq. cum ſcriptor noſter in inſtituendis comparationibus non ſoleat diligenter ſubtiliterque verſari, cumque eiuſdem generis videatur eſſe comparatio inter liberationem a duro et acerbo iugo Moſaico et quietem Dei die ſeptimo, cuius eſt illa, inter liberationem a vitae huius moleſtiis ac curis, et illam ipſam Dei quietem.

Capvt V.

v. 7. ἀπὸ τῆς εὐλαβείας] εὐλαβὴς proprie indicat vel *hominem*, qui facile capi et prehendi poteſt, vel *rem*, quae facile tractari ac prehendi poteſt, quae

paulo

paulo rarior significatio vocis legitur apud Lucian. in Timon. T. I. p. 114. ed. Graeu. ἡ πενία δ' ἔμπαλιν ἐξώδης τε καὶ εὐλαβής· Sed quoniam eiusmodi homines *cauti* ac *timidi* esse solent, hinc vsurpatur *tum* de iis, qui sunt *cauti* et *prouidi*, vnde εὐλάβεια *prouida cura* et εὐλαβεῖσθαι idem quod φυλάττεσθαι, quo ipso verbo illud exponit Hesychius, *tum* de iis, qui *timent*, *verentur*, *solliciti sunt*, vnde εὐλαβὴς *timidus*, εὐλαβεῖσθαι *timere*, *vereri*, idem quod φοβεῖσθαι. v. Hesychius, Pollux V, 122. et Moeris; εὐλάβεια, *timor* Sapient. XVII, 8. καταγέλαστον εὐλάβειαν ἐνόσουν· *sollicitudo animi, anxietas* h. l. — Caeterum εἰσακούεσθαι proprie quidem valet *exaudiri*, h. l. tamen, *liberari*, nam qui calamitatibus est affectus, qui curis premitur, is exauditur, si ab iis liberatur. Itaque εἰσακούεσθαι idem est quod σώζεσθαι· et Alexandrini quidem Ps. LIV, 15. verbum הוֹשִׁיעַ reddiderunt non per εἰσακούειν sed per σώζειν Iudd. II, 16. Ps. LVI. 4. aliisque in locis.

v. 10. προσαγορευθεὶς] *nominatus est*. Sic Sapient. XIV, 22. τὰ τοιαῦτα κακὰ εἰρήνην προσαγορεύουσι· 1 Macc. XIV, 40. προσαγορεύονται οἱ Ἰουδαῖοι ἀπὸ Ῥωμαίων φίλοι. 2 Macc. XIV, 37. καὶ κατὰ τὴν εὔνοιαν πατὴρ τῶν Ἰουδαίων προσαγορευόμενος· Hesychius: προσαγορεύουσι· καλοῦσι.

v. 11. νωθροὶ] νωθρὸς proprie dicitur *imbecillis, infirmus*, Hesychius: νωθρόν· ἀσθενές. Iam quoniam valetudinarii et aegroti, tardi ac segnes sunt ad agendum, νωθρὸς dicitur quoque *homo tardus, segnis, piger*, Sirac. IV, 32. νωθρὸς καὶ παρειμένος ἐν τοῖς ἔργοις σου· XI, 12. ἔστι νωθρὸς προσδεόμενος ἀντιλήψεως, *est tardus, piger, cui auxilio opus est*. Hesychius: νωθρόν· βραδύ. Denique trans-

transfertur ad animum, vt h. l. νωθρὸς ταῖς ἀκοαῖς, *tardus ad audiendum* h. e. intelligendum, discendum. Nam ἀκȣ́ειν saepe id. qd. μανθάνειν, Matth. XI, 15.

v. 12. καὶ ȣ̓ ςερεᾶς τροφῆς] solent frequenter scriptores tam sacri, quam vtriusque linguae profani, cum iis sermo est, de *doctrina, disciplina, educatione*, imagines petere ab alimentis, quibus corpus ali et sustentari solet. Sic etiam h. l. *doctrina* vocatur τροφὴ, sicuti Philo de Decal. p. 745. D. leges et praecepta diuina vocauit τροφὰς διανοίας· et ibid. p. 749. συμπόσιον· Sir. XV, 3. ψωμιεῖ αὐτὸν (σοφία) ἄρτον συνέσεως, καὶ ὕδωρ σοφίας ποτιεῖ αὐτόν· Etymol. M. τροφή· λαμβάνεται καὶ ἐπὶ τῆς ἀγωγῆς καὶ παιδείας· vid. *Fischerus* ad Plat. Phaed. XXX, 18. Cic. de Fin. V, 19. *sed animi cultus ille erat ei quasi quidam humanitatis* cibus.

Capvt VIII.

v. 2. τῶν ἁγίων λειτȣργὸς] per τὰ ἅγια scilicet ἁγίων, vt plenius legitur IX, 3. intelligitur *sanctum sanctorum in coelo, coelum ipsum*, quod etiam significatur per σκηνὴν ἀληθινὴν *tabernaculum verum*; vocatur ἀληθινὴ, quoniam Mosaicum erat tantum illius adumbratio. Existimabant nimirum Iudaei, partem felicitatis futurae in coelo exspectandae, fore etiam cultum Dei externum, eundemque admodum magnificum et splendidum, longe maximeque splendidiorem, quam ille esset his in terris, Hierosolymae. Hinc loquebantur etiam de templo coelesti, de sacerdotibus in coelo etc. Hinc igitur etiam cultum Leuiticum existimabant adumbrationem esse cultus illius praestantioris, Mosen vidisse in monte Sinaitico altare coeleste, candelabrum etc. imitatum esse hunc apparatum templi coelestis, omninoque cultum

cultum illum externum, cum instituerent Leuiticum. v. *Schoettgen.* Hor. Hebrr. ad h. l. Quam in rem notatu dignus mihi videtur locus Sapient. III, 14: δοθήσεται γὰρ αὐτῷ τῆς πίστεως χάρις ἐκλεκτὴ, καὶ κλῆρος ἐν ναῷ κυρίου θυμηρέστερος· *dabitur ei fidei donum egregium, et locus in templo Dei honoratus,* erit e sacerdotibus primariis; h. e. insigni felicitate perfruetur. — Ad has igitur Iudaeorum opiniones respexit h. l. auctor noster. Ideo etiam loquitur de Christo sacerdote in coelo. Cf. etiam IX, 24.

v. 12. ἵλεως ἔσομαι ταῖς ἀδικίαις αὐτῶν] respondent sibi inuicem h. l. formulae ἵλ. ἔσ. τ. ἀδ. αὐτ. et τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν οὐ μὴ μνησθῶ ἔτι, atque eundem sensum efficiunt: Deus nimirum *non recordatur peccatorum,* cum ea non punit, *Deus est propitius iis, qui ea committunt,* cum eorum veniam concedit. Eodem sensu haec formula legitur in versione Graeca Ier. XXXI, 34. 1 Regg. VIII, 34. etc. 2 Macc. II, 7.

CAPVT IX.

v. 7. ἀγνοημάτων] h. l. idem quod ἁμαρτιῶν· proprie quidem ἀγνόημα dicitur *peccatum, quod per ignorantiam, inuoluntarie, committitur,* deinde vero *quodcunque peccatum et delictum* hoc nomine indicatur, vt Iudith. V, 20. vbi ἀγνόημα, ἁμαρτάνειν, et σκάνδαλον coniunguntur. Tob. III, 3: μή με ἐκδικήσῃς ταῖς ἁμαρτίαις μου καὶ τοῖς ἀγνοήμασί μου. 1 Macc. XIII, 39. ἀφίεμεν δὲ ἀγνοήματα καὶ τὰ ἁμαρτήματα. Add. Leuit. IV, 2. vbi οἱ ὁ· habent, ἁμαρτάνειν ἀκουσίως, sed Aquila, et Symmachus ἐν ἀγνοίᾳ.

v. 14. ὃς διὰ πνεύματος αἰωνίου κ. τ. λ.] cap. VII, 25. scripserat huius epistolae auctor, Christum propter-

propterea posse perpetuam salutem afferre, quod perpetuo viuat. Illi loco hic noster accurate respondet. Etiam h. l. Christus dicitur nos liberare a conscientia male factorum, (καθαριεῖ τὴν συνείδησιν ὑμῶν ἀπὸ νεκρῶν ἔργων) quomodo? διὰ πνεύματος αἰων. *per spiritum aeternum.* Iam extra omnem dubitationem positum est, πνεῦμα interdum esse synonymum vocabuli ζωή· hoc euidenter satis docent loci: 2 Macc. VII, 22. οὐδὲ ἐγὼ τὸ πνεῦμα καὶ τὴν ζωὴν ὑμῖν ἐχαρισάμην, *neque ego vobis spiritum et vitam dedi.* add. v. 23. καὶ τὸ πνεῦμα, καὶ τὴν ζωὴν ὑμῖν πάλιν ἀποδίδωσι, *spiritum et vitam vobis reddet;* quibus in locis πνεῦμα et ζωὴ sunt plane synonyma. Haec vero significatio est huic nostro loco sane conuenientissima; atque si eam admittimus, sententia existit haec: quodsi iam victimae vulgares efficere possunt munditiem externam, quanto magis efficiet munditiem internam mors Christi, qui se ipsum obtulit, praeditus vita aeterna, qui oblato sacrificio perpetuo viuit.

Caput X.

v. 25. μὴ ἐγκαταλείποντες τὴν ἐπισυναγωγὴν κ. τ. λ.] *neque deseramus coetum nostrum, sicuti fecerunt nonnulli, sed excitemus nos inuicem, idque eo magis necessarium est, quo propius accedere animaduertitis diem.* — Vocabulum ἐπισυναγωγὴ, cuius synonymum est συναγωγὴ, notat, *conuentum quemlibet,* inprimis tamen *sacrum.* Et hoc quidem significatu vsurpatum h. l. esse vocabulum ἐπισυναγωγὴ, plurimi interpretes existimauerunt, et sensum verbis substituerunt hunc: *nolite abesse a conuentibus sacris, solennibus.* Minus tamen recte, vt videtur, cum huic interpretationi non magnopere faueat reliqua orationis series. Nam sic non intelligo, quomodo

inter

inter ſe cohaereant haec: nolite abeſſe a conuentibus noſtris ſacris, nolite iis vos ſubducere! nam — imminet iudicium h. e. excidium Hieroſolymorum? hoc enim per τὴν ἡμέραν intelligendum eſſe, ſtatim demonſtrabimus. Deinde non negari poteſt, in ſequentibus, v. nimirum 26. et 27. ſermonem eſſe *de defectu a religione*, nam ἁμαρτάνοντες ſunt ii, *qui a religione deſciſcunt*, qui VI, 6. dicuntur οἱ παραπεσόντες, et v. 27. ὁ ὑπεναντίος *contumax*, eſt is, qui ἁμαρτάνει μετὰ τὸ λαβεῖν τὴν ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας, qui, poſtquam ad religionis cognitionem peruenit, ab ea deſciſcit. Coniungit autem verſum 26. cum v. 25. particula γὰρ, quae h. l. eſt ἐξηγητικὴ, vnde patet, v. 25. neceſſario de eadem re ſermonem eſſe debere, de qua v. 26. eſt; ergo, *de conſtantia in retinenda religione chriſtiana*, ad quam auctor literarum, inde a v. 23. perſpicuis verbis cohortatur. — Iam vero συναγωγὴ indicat etiam, *coetum, ſocietatem quandam hominum*, vt Ieſ. XXIV, 22. vbi Alexandrini: συνάξουσι συναγωγὴν αὐτῆς (γῆς) εἰς δεσμωτήριον· Apocal. II, 9. III, 9. συναγωγὴ τοῦ Σατανᾶ· *coetus hominum improborum*. Quin ipſum vocabulum ἐπισυναγωγὴ hoc ſenſu extat 2 Macc. II, 7. ἕως ἂν συνάγάγῃ ἐπισυναγωγὴν τοῦ λαοῦ· Igitur h. l. ἐπισυναγωγὴ non eſt conuentus chriſtianorum ſolennis, *eine chriſtliche Verſammlung*, ſed coetus, ſocietas, chriſtianorum, *die Geſellſchaft der Chriſten*, quatenus vnam eandemque religionem profitentur, adeoque *deſerere* τὴν ἐπισυναγωγὴν, eſt deficere a religione chriſtiana. Hac interpretatione admiſſa, omnia praeclare inter ſe cohaerent: nolite deſerere religionem chriſtianam, quam hactenus profeſſi eſtis! nam Iudaei, perſecutores veſtri acerrimi, breui poenas grauiſſimas luent. Scilicet chriſtiani ad quos hae literae pertinebant,

bant, quosque scriptor ad constantiam in retinenda religione cohortari volebat, inprimis a Iudaeis vexabantur maximopere. Quodnam ergo grauius argumentum proferre poterat, quam hoc: mox poenas subibunt Iudaei, breui liberabimini ab his aduersariis vestris, hi ipsi calamitatibus prementur. Nempe ἡμέρα eleganter ponitur, etiam a scriptoribus exteris, pro *re ipsa*, quae aliquo die, tempore, accidit, v. c. pro calamitate, infortunio, vt Matth. XXIV, 42. et cum in literis sacris ἡμέρα vt hebraicum יום notet etiam *tempus vindictae, tempus quo Deus iudex sedebit*, h. l. indicat *iudicium ipsum*. Iam per ἡμέραν, per *iudicium* intelligi potest, vel, *excidium Hierosolymitanum*, vel *iudicium extremum*. Praecipui vero christianorum illorum aduersarii, vt omnis epistola docet, tunc temporis erant Iudaei, ergo sermo esse debet de iudicio, quod hos proxime spectabat, de vindicta, calamitate, quae ad hos pertinebat, sed Hierosolymitana ciuitas, cum haec scriberet harum literarum auctor, nondum deleta erat, (v. *Ziegler Einleitung in den Brief an die Hebraeer S.* 243. 251.) ergo intelligi debet excidium Hierosolymitanum.

v. 32. πολλὴν ἄθλησιν ὑπεμείνατε] Inter alia argumenta, quae proferuntur ad excitandos et permouendos christianos illos, vt constantes esse pergant, notatur quoque: eos hactenus iam varii generis calamitates constantes sustinuisse. *Recordamini*, scribit auctor, *temporis prioris, quo vobis ad religionem christianam adductis, graue certamen cum calamitatibus erat ineundum* h. e. quo graues calamitates sustinuistis et superastis. Etenim ἄθλησις, vt ἀγών, per metaphoram tribuitur ei, qui indefesso studio in aliqua re graui ac molesta ita laborat, vt omnia impedimenta ac mala remoueat et superet, quo sensu Latini dicunt, *confligtari*, Cic. ad Herenn. II, 32. et *certamen*,

men; Horat. ep. I, 5. 8. atque ita h. l. ἄθλησιν ὑπομένειν idem est, quod Sapient. IV, 2. ἀγῶνα νικεῖν.

v. 38. ἐὰν ὑποςείληται] ὑποςέλλεσθαι, quod in versione Alexandrina Deut. I, 17. respondet Hebraeorum verbo גּוּר, est h. l. *timere*, *metuere*, vt Sapient. VI, 7. ἐ γὰρ ὑποςελεῖται πρόσωπον ὁ πάντων δεσπότης, *Deus omnium dominus*, *neminem metuit*. Hesychius: ὑποςέλλεται· φοβεῖται· Itaque h. l. *si quis metuit s. timidus est*, *non placet mihi*. Quinam his verbis sensus insit, docet v. 39. vbi legitur, ἡμεῖς ἐκ ἐσμὲν ὑποςολῆς, (Hesychius: ὑποςολή· δειλία) *non sumus timoris*, scilicet τέκνα, h. e. ad nos non pertinet timor, non sumus timidi. Sed opponuntur (τὰ) πίςεως scilicet τέκνα, ad quos pertinet religionis professio, homines religionem constanter profitentes. Ergo ὑποςολῆς τέκνα, et ὑποςέλλεσθαι dicuntur h. l. ii, qui metu calamitatum commoti, a religione christiana deficiunt.

Capvt XI.

v. 1. ἐλπιζομένων ὑπόςασις] *constans exspectatio eorum quae speramus*. Alexandrini enim interpretes vocabulo ὑπόςασις expresserunt hebraicum תִּקְוָה *exspectatio*, Ruth. I, 12. et Ps. XXXVIII, 11. vbi in textu legitur nomen תוחלת *spes*, *exspectatio*, οἱ ό· habent ὑπόςασις, sed Aquila καραδοκία· Sapient. XVI, 21. ἡμῖν γὰρ ὑπόςασις σε· *exspectatio tui*, *firma fiducia*, *inconcussa spes in te reposita*. Τὰ ἐλπιζόμενα ea, quae speramus, sunt ea, quae nondum euenerunt, sed futura sunt. Τὰ ἐ βλεπόμενα ea, quae non in sensus incurrunt, siue iam euenerint, siue futura sint. Πίςις respectu eorum, quae euenerunt, est, cum quis testimoniis fidem habet;

bet; respectu eorum, quae futura sunt, est, cum quis promissionibus fidem habet.

v. 3. εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι] construendum: εἰς τὸ ἐκ μὴ φαινομένων, et εἰς τὸ positum existimandum est pro, ὥςε. Iam τὰ μὴ φαινόμενα h. l. sunt τὰ ὀκ ὄντα· coll. 2 Macc. VII, 28. ἀξιῶ σε τέκνον ἀναβλέψαντα εἰς τὸν ὀρανὸν καὶ τὴν γῆν, καὶ τὰ ἐν αὐτοῖς πάντα ἰδόντα, γνῶναι ὅτι ἐξ ὀκ ὄντων ἐποίησεν αὐτὰ ὁ Θεός. Sed per τὰ βλεπόμενα hac in orationis serie, intelliguntur οἱ αἰῶνες h. e. coelum, terra, mundus vniuersus. Sensum loci bene expressit in Scholiis *Rosenmüllerus*.

v. 5. Ἐνὼχ μετετέθη κ. τ. λ.] *Henochus oculis humanis ereptus est, ut felix fieret, (non amplius repertus est, nam Deus eum sustulerat). Ante vero suum ex his terris abitum, testimonium fauoris diuini accepit.* Sirac. XLIV, 6. Ἐνὼχ εὐηρέςησε τῷ κυρίῳ καὶ μετετέθη (Vulgatus: *translatus est in paradisum*) ὑπόδειγμα μετανοίας ταῖς γενεαῖς· Iam plures interpretes ex hoc nostrae epistolae loco coll. Gen. V, 24. Henochum non esse mortuum, sed viuum in coelum translatum probare voluerunt. Quorum tamen sententiam, nos quidem, nullo pacto amplecti possumus. Nimirum formula, quae extat Gen. l. c. וְאֵינֶנּוּ *nec amplius erat*, pro qua noster scripsit καὶ ὀχ εὑρίσκετο, vtuntur Hebraei *de mortuis*. Sic Iacobus Gen. XLII, 36. dicit, *Iosephus* אֵינֶנּוּ *non amplius est*, h. e. mortuus est; persuasum enim ei erat, Iosephum mortuum esse. Add. Ps. XXXIX, 14. vbi *abire*, et, *non amplius esse*, sunt voces eiusdem significatus, et notant, mortuum esse. Ita quoque legitur Sirac. XVII, 25. ἀπὸ νεκρῶ, ὡς μηδὲ ὄντος, ἀπόλλυται ἐξομολόγησις; vbi verba ὡς μηδὲ ὄντος, sunt periphrasis τῶ νεκρῶ· Neque minus Latini, eodem sensu vsurpare solent formulam:

iam: *non amplius esse*, vt Cic. epp. ad Div. VI, 3. extr. cf. *Gatackerus* de stilo N. T. c. 29. p. 117. et nos ad Demetr. Cydon. de contemn. morte p. 101. — Deinde μετετέθη notat, subito, conspectui hominum ereptus est, non eum porro viderunt, subito mortuus est, coll. Sapient. IV, 10. 11. vbi μετετέθη et ἡρπάγη commutantur. — Porro formulae τοῦ μὴ ἰδεῖν τὸν θάνατον, sensus esse potest: *vt felix, non infelix fieret*, prouti eam explicuit b. *Morus* in versione huius epistolae vernacula; hoc saltem sensu legitur τὸν θάνατον μὴ θεωρεῖν Ioh. VIII, 51. pro quo eodem sensu Ioh. XI, 25. extat ζῆν, *felicem esse*. Nolo tamen acriter repugnare iis, qui vertunt, *non acerba morte periit, placidam et subitam mortem obiit*. — Praeterea mortem praematuram et subitaneam contingere iis, quos singulari fauore dii amplectantur, erat communis antiquitatis opinio. v. Sapient. IV, 14. Aeschines Socrat. in Axioch. c. 9. extr. οἱ θεοὶ τῶν ἀνθρωπείων ἐπιστήμονες, οὓς ἂν περὶ πλείστου ποιῶνται, θᾶττον ἀπαλλάττουσι τοῦ ζῆν· *dii immortales, gnari rerum humanarum, celerius eos e vita euocant, quos maxime diligunt*. add. c. 10. ibique *Fischerus*, Plautus Bacchh. IV, 7. 18. *quem dI diligunt, Adolescens moritur;* quibus verbis expressit versum Menandri: ὃν οἱ θεοὶ φιλοῦσιν, ἀποθνήσκει νέος· Ita igitur etiam mors praematura ac subita Henochi, hominis pii ac probi, qui haud dubie fulmine ictus periit, existimabatur esse aperta fauoris diuini erga eum declaratio. Hanc nostram interpretationem mirifice confirmat locus Sapient. IV, 7. sqq. vbi de morte Henochi sermo est, atque cumulantur verba *de morte propria*; nam v. 7. legitur: δίκαιος ἐὰν φθάσῃ τελευτῆσαι· v. 17. ὄψονται γὰρ τελευτὴν σοφοῦ· v. 10. ζῶν μεταξὺ ἁμαρτωλῶν μετετέθη,

θη, *viuens inter improbos sublatus est*, v. 11. ἡρπάγη *repente sublatus est*, v. 16. κατακρινεῖ δὲ δίκαιος καμὼν τοὺς ζῶντας ἀσεβεῖς, καὶ νεότης τελεσθεῖσα ταχέως, πολυετὲς γῆρας ἀδίκου· *condemnat autem iustus mortuus viuos impios, et iuventus celerius consummata longam vitam improbi.* — Caeterum verba καὶ οὐχ εὑρίσκετο, διότι μετέθηκεν αὐτὸν ὁ Θεός· quae nostro loco leguntur, parentheseos nota, a reliquis verbis separari debent, sunt enim verba versionis Alexandrinae Gen. V, 24. quae laudauit noster. Vltimorum denique verborum sensum πρὸ γὰρ τῆς κ. τ. λ. ita constituo: legimus de Henocho apud Mosen, antequam illius ibi mortis mentio fit, eum egisse vitam Deo probatam.

v. 7. δι᾽ ἧς κατέκρινε τὸν κόσμον] *per hanc fidem sententiam dixit contra mundum, condemnauit populares, coaeuos;* i. e. poena dignos declarauit, quomodo? illi ipsi quoque fidem habere potuissent oraculis diuinis, atque adeo vitam in melius mutare, sed non habuerunt. Eodem sensu κατακρίνειν legitur Sap. IV, 16. quem locum supra iam laudauimus.

v. 16. ἡτοίμασε γὰρ αὐτοῖς πόλιν] *destinauerat iis vrbem,* patrias sedes (v. 15. πατρίδα) i. e. felicitatem perennem. Ἑτοιμάζειν h. l. *destinare*, vt Matth. XXV, 34. Tob. VI, 18. ὅτι σοὶ αὕτη ἡτοιμασμένη ἦν, ἀπὸ τοῦ αἰῶνος· Gen. XXIV, 14. ταύτην (παρθένον) ἡτοίμασας τῷ παιδί σου τῷ Ἰσαάκ, in textu legitur ibi verbum הוֹכַחְתָּ.

v. 34. παρεμβολὰς ἔκλιναν ἀλλοτρίων] *copias hostium profligarunt,* παρεμβολὴ non tantum *castra*, (Act. XXI, 34. Gen. XXXII, 7. vbi respondet hebr. מַחֲנֶה) sed etiam *exercitum, aciem* significat vt h. l. et Sir. XLVIII, 24. ἐπάταξε τὴν παρεμβολὴν τῶν Ἀσσυρίων· 1 Macc. V, 45. Ἀλλότριοι autem, dicuntur proprie, *alieni, peregrini, exteri, non ad popu-*

populum Dei pertinentes, ita vt ἀλλότριος id. ſit qd. ἀλλογενὴς, vt Num. III, 10. vbi οἱ ό· habent ἀλλογενὴς, ſed alius interpres, ἀλλότριος. Sir. XXIX, 21. καὶ ἐπλανήθησαν ἐν ἔθνεσιν ἀλλοτρίοις, h. l. vero, cum ſermo ſit de hoſtibus populi Iſraelitici, intelliguntur *hoſtes Iſraelitarum*, quo ſignificatu etiam vocabulum extat 1 Macc. I, 38. Ἱερουσαλὴμ — ἐγένετο κατοικία ἀλλοτρίων· Sir. XXXVI, 2. ἔπαρον τὴν χεῖρά σου ἐπὶ ἔθνη ἀλλότρια· Pſ. LIII, 3. Alexandrini interpretes hebraicum זָר verterunt ἀλλότριος, ſed hoc idem nomen Prou. VI, 1. expreſſerunt vocabulo ἐχθρός· Heſychius: ἀλλότριος· πολέμιος, ξένος.

v. 35. ἐτυμπανίσθησαν] τύμπανον non modo vocabatur *inſtrumentum muſicum*, cuius forma non rotunda, ſed concaua erat, ita vt ſpeciem clypei haberet, quodque manibus vel digitis percutiebatur; vid. *Perizon.* ad Ael. H. V. IX, 8. interpp. ad Heſych. ſ. h. v. *Gatacker.* Miſcell. Adverſſ. Poſth. c. 46.; ſed etiam *machina lignea*, formam huius inſtrumenti referens, ad quam deuincti caedebantur virgis vel fuſtibus, atque erat tormenti et ſupplicii genus. 2 Macc. VI, 19. αὐθαιρέτως ἐπὶ τὸ τύμπανον προσῆγε· 28. ἐπὶ τὸ τύμπανον εὐθέως ἦλθε· Scholiaſt. ad Ariſtoph. Plut. v. 476. τύμπανα· ξύλα, ἐφ᾽ οἷς ἐτυμπάνιζον· ἐχρῶντο γὰρ ταύτῃ τῇ τιμωρίᾳ· Hinc τυμπανίζειν *deuinctum ad tympanum caedere*, et ἀποτυμπανίζειν, *ad mortem vſque caedere* 3 Macc. III, 27. ἐχθίσταις βασάνοις ἀποτυμπανισθήσεται. Conf. de hac voce *Gatacker.* Opp. Critt. T. II. p. 905. ſqq. Heſych. explicat ἐκρεμάσθησαν, ἐσφαιρίσθησαν, quod vltimum verbum non debet verti, *incuruati ſunt ad formam globi*, ſed loris vel flagellis, quibus innexi eſſent globuli plumbei, caeſi ſunt. Zoſimus V. 2. σφαίραις μολυβδίναις παίεσθαι.

Capvt XII.

v. 6. μαςιγοῖ] verba μαςιγȣ̃ν et μαςίζειν, quorum propria significatio est, *verberare* (2 Macc. III, 26. ἐμαςίγȣν αὐτὸν ἀδιαλείπτως) quam saepissime latiori significatu ponuntur, vt omnino notent, *dolore, calamitate afficere aliquem,* Tob. XIII, 2. ὅτι αὐτὸς (Θεὸς) μαςιγοῖ καὶ ἐλεεῖ. Sapient. XII, 22, τȣ̀ς ἐχθρȣ̀ς ἡμῶν ἐν μυριότητι μαςιγοῖς. XVI, 16. ἐν ἰσχύϊ βραχίονός σȣ ἐμαςιγώθησαν. Ita quoque h. l. est, *castigare, seuerius tractare,* synon. παιδεύειν.

v. 16. μή τις πόρνος, ἢ βέβηλος ὡς κ. τ. λ.] *ne quis intersit coetui vestro scortator, vel profanus Esauo similis, qui pro edulio vno, ius primogeniturae vendidit.* Πόρνος, *scortator* nihil amplius. Nonnulli quidem interpretes, cum idolorum cultus ab Hebraeis frequenter comparetur cum scortatione, et hoc ipso quoque nomine insigniatur, statuerunt vocabulo πόρνος significari h. l. *hominem procliuem ad defectum a religione christiana,* sed haec interpretatio h. l. nimis quaesita, nec necessaria est, neque fauet ei similis cohortatio, quae legitur XIII, 4. Neque vero etiam nobis placet eorum interpretum sententia, qui vulgarem quidem nominis πόρνος significationem retinent, sed illud ad Esauum referunt, eumque eam ob caussam ita nominatum esse praecipiunt, quod duas feminas Cananaeas in matrimonium duxisset. Neglexerunt hi interpretes particulam ἤ. Caeterum βέβηλος dicitur, homo profanus, leuissimus, religionis ac sacrorum contemtor, cui nihil est sanctum, vt 1 Tim. I, 9. vbi copulantur ἀνόσιος et βέβηλος. Eodem sensu 3 Macc. II, 14. Antiochus vocatur βέβηλος: Esauus ita nominatur, quoniam vendidit primogenituram, cuius magna dignitas, magna iura erant, quae in gente Abrahami cum promissionibus

nibus diuinis coniuncta erat. Cf. nos *Geschichte des Jüdischen Volks für denkende Leser der Bibel.* S. 30.

v. 21. φανταζόμενον] *visum quod apparebat*, oblata species et imago, minime quidem fictitia, sed vera, ne quis φαντάζεσθαι dici putet duntaxat de vanis simulacris rerum, quae nusquam sunt. Ita *Beza* in h. l. Id confirmat collatio Sapient VI, 16. vbi de sapientia dicitur ἐν ταῖς τρίβοις φαντάζεται αὐτοῖς εὐμενῶς, *in viis apparet illis beneuole*, καὶ ἐν πάσῃ ἐπινοίᾳ ὑπαντᾷ αὐτοῖς· *et in omni cogitatione occurrit illis. Henke.* De fictitia rei specie legitur Sirac. XXXIV, 5. καὶ ὡς ὠδινούσης φαντάζεται καρδία· H. l. intelliguntur ignis, tonitrua, caligo etc.

v. 24. αἵματι — κρείττονα λαλοῦντι] locutio est hebraica, desumta e Gen. IV, 10. add. 2 Macc. VIII, 3. καὶ τῶν καταβοώντων πρὸς αὐτὸν αἱμάτων εἰσακοῦσαι.

v. 26 — 28. οὗ ἡ φωνὴ κ. τ. λ.] *is, cuius vox olim concussit terram, nostris temporibus haec promisit: adhuc semel ego non terram tantum, sed etiam coelum commouebo.* τότε] *olim*, in monte nimirum Sinaitico, cum legem ferret. φωνὴ] *tonitrua*, hebr. קוֹל Exod. XX, 18. Num. VII, 89. hinc φωναὶ et βρονταὶ tanquam synonyma coniunguntur Apoc. XI, 19. et Sir. XLIII, 19. legitur φωνὴ βροντῆς· ἐπήγγελται λέγων] simpliciter *promisit*, passiuum ἐπήγγελται ex vsu cultissimorum scriptorum vim habet actiui, vt Rom. IV, 21. 2 Petr. I, 3. 4. Verba ἔτι ἅπαξ κ. τ. λ. ex Haggaei oraculis (II, 7.) desumta esse interpretes plurimi statuunt, illum tamen prophetae locum ab hoc nostro maxime diuersum esse demonstrarunt nuper *Michaelis* et *Storrius*. Existimauerim ergo, laudasse h. l. nostrum, dictum Christi ἄγραφον, cuiusmodi quoque laudauit Paulus

Act. X, 35. Explicanda autem sunt haec nostra verba de interitu mundi, ita vt eorum sensus sit: is, qui olim montem Sinaiticum concussit, promisit (per filium) se adhuc semel commoturum esse, non solum terram, sed etiam ipsum coelum, et ita quidem, vt noua rerum facies ac forma existat, coll. v. 27. 2 Petr. III, 12. sqq.

v. 27. τὸ δὲ ἔτι ἅπαξ κ. τ. λ.] *illa autem verba*: adhuc semel, *indicant mutationem rerum fluctuantium, quoniam attritae sunt, ita, vt maneat id, quod sit firmum, inconcussum.* Commentatur nunc, more suo, scriptor noster, in effatum paulo ante prolatum, atque inprimis vrget verba ἔτι ἅπαξ. Quoniam, inquit, diserte dicitur: *semel* terra coelumque commouebuntur: in promtu est, tunc nullam amplius rerum conuersionem esse secuturam. Τὰ σαλευόμενα] *ea quae commouentur, fluctuantia, mutationi obnoxia.* v. *Kypkius* p. 415. *Elsnerus* p. 378. intelliguntur h. l. terra coelumque. Ὡς πεποιημένων] me quidem iudice, participium πεποιημένων commode potest retineri, quicquid et alii interpretes bene multi contradixerint, dummodo particulam ὡς positam existimes vel ita, vt redundet (de quo huius particulae vsu disputauit *Krebsius* ad 2 Petr. I, 3.) atque vertas: *mutationem rerum fluctuantium ita factarum vt* etc. vel vt eandem particulam eo sensu positam statuas, vt notet: *eo consilio*, quo sensu eam ab Atticis inprimis, frequenter poni obseruauit *Marklandus* Coniect. Lys. p. 604. atque adeo verbis hunc sensum substituas: indicant rerum fluctuantium mutationem, *eo consilio factarum vt mutentur, ita* etc. Omnium autem reliquarum coniecturarum, ab interpretibus vulgarem lectionem repudiantibus, propositarum, praestantissima, est haud dubie *Bosii*, (quam etiam supra in versione expressi), qui legendum

dum praecepit: πεπονημένων· ita, vt πεπονημένα sit idem, quod πεπαλαιώμενα (Hebr. I, 11. Sir. XIV, 17.) γηράσκοντα (Pſ. CII, 26. ſqq.), *ea quae attrita ſunt*, cum πονεῖν ſit, *vſu conterere.* — Opponuntur τοῖς σαλευομένοις hoc loco τὰ μὴ σαλευόμενα, *ea, quae perpetuo durant, quae nulli mutationi obnoxia ſunt*, atque intelligitur *ciuitas coeleſtis*, πόλις Θεοῦ ζῶντος v. 22., *regnum coeleſte*, βασιλεία ἀσάλευτος v. 28. Senſus eſt: Deus ille, qui quondam maieſtatem ſuam in monte Sinaitico declarauit, idem ille Deus noſtris temporibus per filium ſuum promiſit, ſe ſemel adhuc, ſimili modo, interitu mundi, ſuam maieſtatem declaraturum eſſe. *Semel tantum*, ergo nulla tunc amplius metuenda noua mutatio, ſed Chriſti regnum, quod inconcuſſum, quod nulli mutationi obnoxium eſt, florebit perpetuo.

v. 28. διὸ βασιλείαν ἀσάλευτον κ. τ. λ.] *nos ergo conſecuturi immutabile regnum, grati ſimus*, (h. e. conſtanter retineamus religionem chriſt.) *ſic enim colimus Deum ſumma cum reuerentia nobiſque ipſius fauorem comparamus.* Παραλαμβάνοντες poſitum eſt pro, παραληψόμενοι. Sed βασιλεία ἀσάλευτος eſt regnum, quod firmum eſt, quod moueri nequit, quod ſemper floret. Felicitas autem chriſtianorum in altera vita exſpectanda, ſaepius in libris N. T. comparatur cum regno, et ita etiam h. l. per βασιλείαν ἀσάλευτον ſignificatur: *felicitas perpetua, conſtans, ſumma.* Formula denique ipſa, παραλαμβάνεσθαι βασιλείαν, notat, *regem fieri*, vt 2 Macc. X, 11. ἔτος γὰρ παραλαβὼν τὴν βασιλείαν· add. Dan. VII, 18. — Liceat iam, cum hanc pericopen de interitu mundi interpretati ſimus, indicare orationis cohaerentiam. Cohortatur nimirum harum literarum auctor hoc in capite lectores ſuos, vt religionem chriſtianam, calamitatibus preſſi,

con-

constanter retineant, et spem fiduciamque omnem in Deo reponant. Quam quidem in rem varii generis argumenta et incitamenta proponit. Ponit nimirum primo iis ob oculos exemplum Christi, grauissimis, a peccatoribus, calamitatibus affecti v. 2. sqq.; edocet deinde eos accuratius, calamitates facere ad perfectionem pietatis virtutisque christianae, cuius strenui sectatores esse debeant v. 5. sqq. comparat denique religionem christianam cum religione Iudaica, ita, vt ostendat, hanc, cultorum suorum animis maximum terrorem iniicere, esse religionem terroris plenam; illam vero replere animos cultorum suorum spe felicitatis futurae laetissima, v. 18. sqq. Hanc igitur felicitatem demonstrat, a) piis et constantibus christianis esse *certissimam*, v. 22. vbi sensus est: felicitas aeterna adeo vobis *certa* est, ac si iam eam essetis consecuti. b) eam esse *constantem, perpetuo duraturam, maximam*, v. 26. sqq. imminere quidem magnam rerum conuersionem, interitum nimirum mundi, sed regnum Messianum nunquam interiturum esse.

Caput XIII.

v. 4. *τίμιος γάμος, κοίτη*] scilicet ἔςω. *Γάμος matrimonium*, Sapient. XIV, 24. ὄτε βίους, ὄτε γάμους καθαροὺς ἔτι φυλάσσουσι· v. 26. γάμων ἀταξία. Sed *κοίτη* est *lectus coniugalis*, id. qd. *θάλαμος*, Sapient. III, 13. ἥτις οὐκ ἔγνω κοίτην ἐν παραπτώματι.

IN EPISTOLAM IACOBI.

CAPVT I.

Ante Ma

v. 5. Ἀπλῶς καὶ μὴ ὀνειδίζοντος] *affatim, largiter* (Syrus ܦܫܝܛܐܝܬ *copiose, largiter) dat, nec exprobrat.* Deus, non hominum more sua beneficia concedit, qui cum ab iis aliquid petimus, parce dant, et simul data beneficia exprobrant, h. e. si sensum spectamus, Deus est omnium bonorum largitor benignissimus. Confirmare videtur hanc interpretationem locus Sirac. XX, 14. sq. δόσις ἄφρονος ἐ λυσιτελήσει σοι — ὀλίγα δώσει καὶ πολλὰ ὀνειδίσει· *non magnopere te iuuabit hominis stulti beneficium — parce dabit et beneficia exprobrabit.* Ὀνειδίζειν quod apud scriptores graecos non minus quam ipsum nomen ὄνειδος etiam bono sensu de gloria, honore interdum legitur (Schol. ad Eurip. Phoenn. v. 828. ἔστι τὸ ὄνειδος τῶν μέσων λέξεων, ὡς καὶ τύχη, καὶ δῆλος, καὶ ζῆλος· ὄνειδος, κλέος, ἐγκώμιον· et ad v. 1670. ἐξονειδίζειν ἐπὶ τοῦ κλέους εἴληπται ἀντὶ τοῦ ἐκλέϊσεν καὶ ἔνδοξον ἐποίησε, τὸ γὰρ ὄνειδος καὶ ἐπὶ ἀγαθοῦ τάττεσθαι δύναται·) plerumque notat: *probris et conuiciis lacessere, probrose obiicere, maledictis lacerare,* Sapient. II, 12. vbi commutatur cum verbo ἐπιφημίζειν· et h. l. quidem, *beneficia data obiicere alteri probrose,* vt Sirac. l. c.

v. 6. διακρινόμενος] διακρίνεσθαι significat h. l. *dubitare, diffidere,* et sicuti h. l. huic verbo opponi-

tur

tür τὸ αἰτεῖν ἐν πίστει, ita Rom. IV, 20. opponitur ei, ἐνδυναμοῦσθαι τῇ πίστει, vbi *Theodoretus* verba οὐ διεκρίθη explicat, ἀναμφιβόλως ἐπίστευσε, *ſine vlla haeſitatione fidem habuit.* Similis locus Sirac. I, 28. μὴ ἀπειθήσῃς φόβῳ κυρίου, καὶ μὴ προσέλθῃς αὐτῷ ἐν καρδίᾳ δισσῇ· *noli Deum venerari animo incredulo, neque precibus eum adire animo fluctuanti,* v. 27. legitur: ἡ εὐδοκία αὐτοῦ (κυρίου) πίστις — *placet Domino fiducia.*

v. 16. δόσις ἀγαθὴ καὶ πᾶν δώρημα τέλειον κ. τ. λ.] interpretes veteres vulgo hoc diſcrimen inter vocabula δόσις et δώρημα ponunt, vt δόσις indicet *actum ipſum,* largitionem, δώρημα vero *effectum,* ipſum donum; neque male, ſi rem per ſe ſpectamus; ſed h. l. ſunt mere ſynonyma, ita vt deſignentur *beneficia diuina quaeuis.* Verba autem πατὴρ τῶν φώτων continent periphraſin *omnipotentiae diuinae.* Scilicet ὁ πατὴρ ſaepe idem eſt quod, ὁ ποιήσας, *auctor,* vt Sirac. XXIII, 4. κύριε, πάτερ καὶ θεὲ ζωῆς μου· quo eodem ſenſu Latini nomina, *pater, parens,* ponere ſolent. Iam Pſ. CXXXV, 7. legitur: τῷ ποιήσαντι φῶτα μεγάλα, ſed per φῶτα intelliguntur *ſol, luna, ſidera,* nam v. 8. commemoratur ὁ ἥλιος et v. 9. ἡ σελήνη· Itaque h. l. ἀπὸ τοῦ πατρὸς τ. φ. idem eſt quod ἀπὸ τοῦ ποιήσαντος τὰ φῶτα h. e. *ab auctore, creatore ſiderum* i. e. a creatore huius vniuerſi, ſed mentionem tantummodo ſiderum Apoſtolus fecit, quoniam paulo ante nominauerat coelum, quoniam ſcripſerat ἄνωθεν h. e. οὐρανόθεν, et καταβαῖνον· Quomodo vero praeclarius poterat deſcribere omnipotentiam Dei, quam ſi eum nominaret creatorem ſiderum, auctorem huius vniuerſi? Ergo ἀπὸ τοῦ π. τ. φ. eſt, *a Deo omnipotente.*

v. 19.

v. 19. βραδὺς εἰς τὸ λαλῆσαι] Sir. IV, 29. μὴ γίνȣ ταχὺς ἐν γλώσσῃ· nam in Cod. Alex. ſic exſtat pro τραχὺς aliorum librorum, quod et ipſum alienum eſt ab hoc loco, in quo de raucedine et aſperitate pronunciationis non agitur.

v. 20. ὀργὴ γὰρ ἀνδρὸς δικαιοσύνην Θεȣ̃ ȣ̓ κατεργάζεται] *hominis ira*, (i. e. homo iracundus ἀνὴρ ὀργίλος) *non efficit* (conſequitur) *Dei fauorem, minime Deo placet*. Similis ſententia legitur Sirac. I, 28. ȣ̓ δυνήσεται ἀνὴρ θυμώδης δικαιωθῆναι· ἡ γὰρ ῥοπὴ τȣ̃ θυμȣ̃ αὐτȣ̃ πτῶσις αὐτῷ, *non poteſt felix fieri homo iracundus, etenim nimia ipſius iracundia perniciem ipſi affert.*

v. 25. ὁ δὲ παρακύψας εἰς νόμον τέλειον τὸν τῆς ἐλευθερίας] παρακύπτω proprie notat: *incurvo me*, deinde inprimis dicitur *de iis, qui prono capite, inflexo collo et corpore introſpiciunt, vt aliquid penitus cognoſcant*, vt Ioh. XX, 5. inde etiam metaphora deſumta Sirac. XIV, 23. μακάριος ἀνὴρ, ὃς ἐν σοφίᾳ τελευτήσει, — ὁ παρακύπτων διὰ τῶν θυρίδων αὐτῆς· Denique per metaphoram, valet, *diligenter et accurate conſidero* h. l.

CAPVT II.

v. 6. καταδυναςεύȣσιν ὑμῶν] καταδυναςεύειν Graecis proprie ſignificat, *durum in aliquem imperium exercere*, nam δυναςεύειν eſt, *dominari, imperare*, et κατὰ in compoſitis ſaepius valet, *male, perperam*, vt in καταχρᾶσθαι, κατεξȣσιάζειν, καταβραβεύειν etc. vid. *Krebſius* p. 328. Deinde vero ab iis quoque eo ſignificatu ponitur, vt ſit: *opprimere*, prouti h. l. legitur et Sapient. II, 10. καταδυναςεύσωμεν πένητα δίκαιον, *opprimamus pauperem innocentem*. Heſychius: καταδυναςεύω· βιάζω. Non autem hoc verbum id. eſt qd. κατακυριεύειν, Matth. XX, 25.

vt

vt *Pottius* nuper voluit, nam κατακυριεύειν, vt ad Matth. l. c. vidimus, vim habet verbi simplicis κυριεύειν.

v. 22. συνήργει] coniuncta erat cum praeclare factis, factis demonstrauit fiduciam suam; συνεργεῖν *adiuuare* 1 Macc. XII, 1. ὁ καιρὸς αὐτῷ συνεργεῖ· Solebant autem Iudaei semper in ore Abrahamum habere, inprimis eius fiduciam in Deo repositam commendare, summis laudibus extollere. Cf. Sirac. XLIV, 20. ἐν πειρασμῷ εὑρέθη πιστός· 1 Macc. II, 52. vbi Mattathias moribundus Ἀβραάμ, inquit, οὐχὶ ἐν πειρασμῷ εὑρέθη πιστὸς, καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην· vt alios locos silentio praeteream. Hinc Apostoli etiam, Christianis e Iudaeis, Abrahami exemplum et fidem commendare solebant alio tamen modo, alium in finem; vt nimirum eos ad virtutem et fidem christianam excitarent, atque ita eo fortius eorum ferirent animos.

Capvt III.


v. 6. καὶ φλογίζουσα τὸν τροχὸν τῆς γενέσεως κ. τ. λ.] τροχὸς ita enim *Grotio*, *Heinsio*, *Carpzovio*, *Griesbachio*, aliisque praeeuntibus legendum videtur, significat *cursum*, et γένεσις est *ipsa hominis vita*, Iudith. XII, 19. παρὰ πάσας τὰς ἡμέρας τῆς γενέσεώς μου· *per omnes dies vitae meae.* Sapient. VII, 5. γενέσεως ἀρχήν, *vitae initium.* Igitur τροχὸς γενέσεως est, *vitae decursus*, (vt nos dicimus, *der Lebenslauf*) i. e. ipsa vita. Verbum porro φλογίζειν, quo Iacobus propterea vsus est, quoniam linguam cum igne comparat, notat *incendere*, *comburere*, 1 Macc. III, 5. τοὺς ταράσσοντας τὸν λαὸν αὐτοῦ ἐφλόγισεν, *combussit*, sed h. l. vt omnis contextus docet, per metaphoram significat, *perdere*, *mala inferre*, *infelicem reddere*, sicuti omnino *ignis*, est imago afflictionum, miseriae Ies. LXVIII, 24. Iu-

24. Iudith. XVI, 17. Sirac. VII, 19. etc. Cf. quae hanc in rem notauimus ad Soph. Oed. Tyr. v. 166. et v. 192. Caeterum similes plane loci, ad quos lectorem remittimus, sunt Sir. XXVIII, 11 — 24. VIII, 10.

Καὶ φλογιζομένη ὑπὸ τῆς γεέννης] Iudaei nimirum, vt grauitatem poenarum hominibus improbis et scelestis post hanc vitam exspectandarum exprimerent, dicebant, eos in inferno igne misere excruciari, v. Matth. XVIII, 33. Iud. v. 7. Marc. IX, 43. sqq. cuius quidem loquendi rationis origo haud dubie deducenda est ab interitu Sodomae, cuius ciuitatis flebile fatum in literis sacris est constans et perpetua diuinarum poenarum imago, Iudith. XVI, 21. Ies. I, 9. 10. Deut. XXIX, 23. Iac. III, 5. 6. etc. Erat praeterea Iudaeorum opinio, eam corporis hominum partem, quae inprimis hac in vita peccasset, tunc, in inferno, inprimis puniri, siue, vt eorum loquendi consuetudinem retineamus, igne cruciari Matth. V, 29. 30. Luc. XVI, 24. Sapient. XI, 17. δι' ὧν τις ἁμαρτάνει, διὰ τούτων κολάζεται· *per quae quis peccat, per eadem etiam punitur.* Ad hanc opinionem etiam h. l. Iacobus respexit, qui omnino omnibus imaginibus, quibus vsus est, non nisi hanc sententiam exprimere voluit: linguae abusus hominem et in hac et in altera vita infelicem reddit.

CAPVT IV.

v. 6. ἀντιτάσσεται] *resistit, ex aduerso quasi aciem instruit.* Est enim τὸ ἀντιτάσσεσθαι verbum militare, significans: ex aduerso stare, instructa acie, vnde et ἀντιταγμένοι dicuntur hostes. Quae phrasis clarius patescit, si conf. 3 Esdr. II, 26. vbi Hierosolyma dicitur ἐξ αἰῶνος βασιλεῦσιν ἀντιπαρατάσσουσα. *Henke.* H. l. *punit.*




IN EPISTOLAM IVDAE.

v. 6. Δεσμοῖς ἀϊδίοις ὑπὸ ζόφον τετήρηκεν] tenebrae, ſunt perpetua imago miſeriae, Sapient. XVIII, 4. ἄξιοι μὲν γὰρ ἐκεῖνοι ςερηθῆναι φωτὸς, καὶ φυλακισθῆναι ἐν σκότει· h. l. ὑπὸ ζόφον, quod idem eſt ac ἐν ζόφῳ ſ. σκότει. Sententia h. l. exornata eſt: ad poenam grauiorem ſubeundam, iam nunc admodum miſeri, deſtinati ſunt.

v. 13. ἄγρια κύματα] ἄγριος proprie eſt, *agreſtis*, atque dicitur partim de herbis et frugibus, quae ſponte e terra proueniunt, atque a Plinio H. N. XXI, 8. vocantur *erraticae*, partim de feris beſtiis, partim de hominibus in agris degentibus. Iam quoniam homines, qui in agris habitant, fere ſolent eſſe inhumani, aſperi, difficiles, et cum beſtiae ſylvaticae, ſint indomitae, crudeles, ἄγριος notat hominem inhumanum, ſaeuum, omninoque omne id, quod ſuo in genere eſt ſaeuum, crudele. 1 Macc. XI, 9. ȣ̓ μόνον ἀνθρώπȣς, ἀλλὰ καὶ θῆρας τȣ̀ς ἀγριωτάτȣς. Fuſius diſputauimus de hac voce ad Cydonium de contemn. morte p. 24. H. l. ita vocantur fluctus *ſaeui* maris, vt Sapient. XIV, 1. καὶ ἄγρια μέλλων διοδεύειν κύματα· Muſaeus v. 203. ad quem locum vid. *Schraderus.*

v. 16.

v. 16. θαυμάζοντες πρόσωπα] verbum θαυμάζειν haud raro notat *colere*, *venerari*, *honorare* (vt apud Latinos *admirari*, Cic. epp. ad Div. III, 7. *ista vestra nomina nunquam sum* admiratus). Sir. VII, 29. θαύμαζε τὰς ἱερεῖς, *honora sacerdotes;* nam v. 31. legitur δόξασον ἱερέα· vnde etiam θαυμαστὸς *venerabilis*, *colendus*, Sir. XXII, 28. 3 Esdr. IV, 29. hinc θαυμάζειν πρόσωπα est, *personarum respectum habere*, id. qd. προσωποληπτεῖν· Iac. II, 9. πρόσωπον λαμβάνειν· vid. ad Luc. XX, 21.



IN APOCALYPSIN IOHANNIS.

CAPVT II.

v. 22. Ἐγὼ βάλλω αὐτὴν εἰς κλίνην] *morbum grauem ei immittam.* 1 Macc. VII, 13. καὶ μετὰ ταῦτα ἔπεσεν ἐπὶ τὴν κοίτην, καὶ ἔγνω ὅτι ἀποθνήσκει, *postea cum incidisset in grauem morbum, intellexit se moriturum esse.*

v. 23. ὁ ἐρευνῶν νεφρὰς καὶ καρδίας] vno verbo καρδιογνώστης, vt legitur Act. I, 24. locutio est hebraica בחן לבות וכליות Ps. VII, 10. XXVI, 2. νεφροὶ *renes, intestina*, h. l. tropice, intimae cogitationes, et ἐρευνᾶν notat *cognoscere, perspicere*, Iudith. VIII, 13. πῶς τὸν Θεὸν ὃς ἐποίησε πάντα ταῦτα, ἐρευνήσετε· Rom. VIII, 27. ὁ ἐρευνῶν τὰς καρδίας· H. l. sensus est: *quem simulata pietas minime fallit.* Similis locus Sapient. I, 6. τῶν νεφρῶν αὐτοῦ μάρτυς ὁ Θεὸς, καὶ τῆς καρδίας αὐτοῦ ἐπίσκοπος ἀληθὴς, καὶ τῆς γλώσσης ἀκουστής· *Deus est conscius renum, et cordis verus spectator, et linguae auditor.*

v. 28. καὶ δώσω αὐτῷ τὸν ἀστέρα τὸν πρωϊνὸν] δώσω αὐτῷ idem quod θήσω αὐτὸν, *constituam, faciam*, sicuti etiam ab Hebraeis verba שום et נתן saepius inter se permutantur. Stella autem matutina, (sicuti omnino splendore Sap. III, 7. Matth. XIII, 43.) est symbolum splendoris et dignitatis maximae. Cf. Sirac. L, 6. vbi de Onia pontifice summo: ἐν ἐξόδῳ οἴκου καταπετάσματος ὡς ἀστὴρ ἑωθινὸς ἐν μέσῳ νεφέλης· add. Ies. XIV, 12. vbi rex Babylonis, nominatur, *lucifer, aurorae filius.* Est ergo ibi imago splendoris et dignitatis regiae. Sic quo-

que

que h. l. conſtituam eos reges ſplendore et dignitate inprimis conſpicuos, h. e. erunt feliciſſimi. Nam felicitas Chriſti ſectatorumque ipſius ſaepiſſime in literis ſacris inprimiſque Apocalypſi Iohannea comparatur regno, atque a dignitate regia imagines deſumuntur. Poſſunt tamen verba etiam ita intelligi, vt, *dabo ei ſtellam matutinam* poſitum cogitetur pro, *dabo ei ſplendorem ſtellae matutinae;* ſed ſenſus idem manet.

CAPVT III.

v. 12. ποιήσω αὐτὸν ςύλον ἐν τῷ ναῷ Θεȣ͂] in epiſtola ad Galat. II, 9. Apoſtoli *principes* nominantur ςύλοι τῆς ἐκκλησίας· eodem ſenſu h. l. adhibetur vocabulum ςύλος, quod proprie *columnam* indicat, nempe improprie, *de eo, qui dignitate et auctoritate eminet, in aliqua re princeps eſt.* Iam ſermo eſt h. l. de templo coeleſti. Ergo, erit in templo meo coeleſti vnus e ſacerdotibus praecipuis i. e. ſumma felicitate ornabitur. Conferantur quae notauimus ad Hebr. VIII, 2.

CAPVT IV.

v. 11. τὴν δόξαν, καὶ τὴν τιμὴν, καὶ τὴν δύναμιν] ſunt ſynonyma. Nam δύναμις eſt idem quod κράτος I, 6. et reſpondet hebraico nomini עז quod Alexandrini Pſ. VIII, 3. vertunt αἶνος· et ſicuti κράτος haud raro *laudem, celebrationem, gloriam* notat, (Heſychius: κράτος· δόξα) ita quoque h. l. δύναμις hoc ſenſu occurrit, vt Sirac. LI, 23. τῷ διδόντι μοι σοφίαν δώσω δύναμιν h. e. vt recte explicuit *Schleuſnerus* Spicileg. II. poſt Bielium, *celebrabo eum, qui animum meum vera ſapientia imbuet,* qui idem rectiſſime monuit, lectionem δόξα, quam praeter edit. Complutenſem, reliqui codd. defendunt, eſſe merum gloſſema.

CAPVT VI.

v. 8. ἐν ῥομφαίᾳ, καὶ ἐν λιμῷ, καὶ ἐν θανάτῳ] omnis generis calamitates his vocabulis ſignificantur.

vid. *Eichhornii* Commentar. in Apocalypſ. p. 198. ſqq. ſed θάνατος h. l. vt II, 23. eſt *peſtilentia*, quae non minus quam fames, annonae caritas, bellum ſequi et cum eo coniuncta eſſe ſolet, vnde et aliis in locis *gladius, fames, peſtis*, coniunctim ſolent commemorari, v. c. Ier. XXIV, 10. XXVII, 8. etc. Reſpondet autem nomen θάνατος eo ſignificatu, quo h. l. poſitum eſt, nempe vt idem ſit quod apud Graecos λοιμὸς, Hebraeorum vocabulo דֶּבֶר *peſtis*, quod Alexandrini interpretes Exod. V, 3. IX, 3. expreſſerunt voc. θάνατος, ſed Aquila et Symmachus iisdem in locis, vſi ſunt voce λοιμὸς, ſicuti in lingua Chaldaica et Syriaca, *peſtis* vocatur מוֹתָא, ܡܘܬܐ conf. *Fiſcherus* Proluſſ. de vitt. Lexx. N. T. p. 384. ſqq. qui ibi etiam praeclare originem huius notionis vocabuli θάνατος demonſtrauit. Adiicio hactenus dictis locum Siracidis, XXXIX, 29. πῦρ, καὶ χάλαζα, καὶ λιμὸς, καὶ θάνατος, πάντα ταῦτα εἰς ἐκδίκησιν ἔκτισαι· *ignis, grando, fames*, peſtis, *haec omnia ad vindictam parata ſunt.*

Caput XII.

v. 10. κατεβλήθη] *victus, ſuperatus eſt*, hoc ſenſu legitur verbum καταβάλλειν 1 Macc. IV, 33. κατάβαλε αὐτὲς ῥομφαίᾳ ἀγαπώντων σε· Heſychius: καταβαλεῖ· — νικήσει· —

Caput XIII.

v. 10. αἰχμαλωσίαν συνάγει] *ſi quis captiuos colligit et abducit.* Abſtractum pro concreto, vt Eph. IV, 8. 1 Macc. IX, 70. καὶ ἀποδοῦναι αὐτοῖς τὴν αἰχμαλωσίαν, reddere iis captiuos. v. 72. καὶ ἀπέδωκεν αὐτῷ τὴν αἰχμαλωσίαν ἣν ᾐχμαλώτευσε τοπρότερον ἐκ γῆς Ἰέδα· XIV, 7. καὶ συνήγαγεν αἰχμαλωσίαν πολλὴν, *magnam captiuorum multitudinem abduxit.* H. l. locutionis pro-

prouerbialis ſenſus eſt: qui alios calamitate afficit, miſeros reddit, ipſe calamitate afficietur.

CAPVT XVIII.

v. 6. διπλώσατε αὐτῇ διπλᾶ κατὰ ἔργα αὐτῆς] *maximis calamitatibus eam afficite!* διπλᾶ ab Hebraeis et Graecis vocantur ea, quae ſuo in genere ſunt magna et grauia, ſiue ſint bona, ſiue mala, v. *Eichhornius* ad h. l. et quae notauimus ad Hoſ. X, 10. Phavorinus: διπλῆν· διπλασίονα καὶ μεγάλην· Sap. XI, 12. διπλῆ γὰρ αὐτοὺς ἔλαβε λύπη· Sir. XX, 10. ἔστι δόσις ἣ οὐ λυσιτελήσει σοι, καὶ ἔστι δόσις ἧς τὸ ἀνταπόδομα διπλοῦν· *ſunt beneficia, quae datori nihil proſunt, ſunt vero etiam quae vberrimos fructus proferunt.*

v. 7. καὶ χήρα οὐκ εἰμὶ] χήρα proprie quidem dicitur *vidua, foemina quae marito orbata eſt.* Heſychius: χήρα· ἡ — τὸν ἄνδρα στερηθεῖσα γυνή· Deinde vero ſenſu latiori, *foemina liberis orbata, perſona cariſſimis orbata,* omninoque *infelix* et *miſera.* Sed adhibetur hoc idem nomen etiam improprie *de vrbibus deſolatis, incolis et ciuibus deſtitutis*, vt h. l. Baruch. IV, 9. vbi Hieroſolyma: ἐπήγαγέ μοι ὁ θεὸς πένθος μέγα· 12. μηδεὶς ἐπιχαιρέτω μοι τῇ χήρᾳ — ἠρημώθην διὰ τὰς ἁμαρτίας τῶν τέκνων μου· *magna me Deus triſtitia afficit — nemo gaudeat de me vidua — deſolata ſum propter peccata filiorum* (ciuium) *meorum.* v. 10. εἶδον γὰρ τὴν αἰχμαλωσίαν τῶν υἱῶν μου καὶ τῶν θυγατέρων· *vidi enim filiorum, filiarumque mearum captiuitatem.* Locus parallelus Ieſ. XLVII, 7. 8. Ita quoque verbum χηρεύειν legitur de depopulatione, v. *Weſſeling.* Diſſert. Herodot. p. 86. et Latinorum *viduare*, Virg. Aen. VIII, 571. *tam multis* viduaſſet *ciuibus vrbem.*

v. 17. ἠρημώθη ὁ τοσοῦτος πλοῦτος] *exhauſtae ſunt, perierunt tantae opes*, Sirac. XXI, 5. καταπληγμὸς καὶ ὕβρις ἐρημώσουσι πλοῦτον· 1 Macc. II,

12.

12. τὰ ἅγια ἡμῶν, καὶ ἡ καλλονὴ ἡμῶν, καὶ ἡ δόξα ἡμῶν ἠρημώθη, *periit*

v. 22. καὶ φωνὴ κιθαρῳδῶν κ. τ. λ.] Similis descriptio desolationis proponitur Baruch. II, 23. ἐκλείψειν ποιήσω ἐκ πόλεων Ἰούδα καὶ ἔξωθεν Ἱερουσαλὴμ φωνὴν εὐφροσύνης, καὶ φωνὴν χαρμοσύνης, φωνὴν νυμφίου, καὶ φωνὴν νύμφης, —. *auferam ex Iudaeae oppidis et vrbe gaudii laetitiaeque clamores, et iubila laeta sponsi sponsaeque.*

Capvt XIX.

v. 5. καὶ οἱ μικροὶ καὶ οἱ μεγάλοι] altiori et inferiori dignitatis gradu collocati, ἅγιοι, ἀπόστολοι, προφῆται, XI, 18. XVIII, 20. sine discrimine omnes; ita quoque ἐλάχιστος *minimus*, ratione *dignitatis* et *conditionis* Sapient. VI, 5. ὁ γὰρ ἐλάχιστος σύγγνωστός ἐστιν ἐλέους· δυνατοὶ δὲ — et v. 7. οὐ γὰρ ὑποστελεῖται πρόσωπον ὁ πάντων δεσπότης, οὐδὲ ἐντραπήσεται μέγεθος· ὅτι μικρὸν καὶ μέγαν αὐτὸς ἐποίησεν, ὁμοίως τε προνοεῖ περὶ πάντων· *neminem metuit omnium dominus, neque potentiam vllius, ipse creauit; sicuti creauit et infimae sortis homines, et potentia auctoritateque pollentes, ita quoque omnium eandem curam habet.*

v. 21. ῥομφαία ἐκπορευομένη ἐκ τοῦ στόματος] sunt h. l. verba adeo grauia et efficacia, vt iis solis interficiantur aduersarii. cf. *Eichhornius* ad Apoc. I, 16. Similis locus Sapient. XVIII, 15. 16. ὁ παντοδύναμός σου λόγος ἀπ' οὐρανῶν ἐκ θρόνων βασιλείων — ξίφος ὀξύ, *potentissimum tuum mandatum e coelis e sede regia — gladius acutus.* Sic quoque Hebr. IV, 12. comminationes diuinae comparantur cum gladio, qua imagine summa earum efficacia exprimitur.

INDEX


INDEX PRIMVS LOCORVM N. T.

Iohannes.

Acta Apostolica.

VI,

II,



INDEX SECVNDVS VERBORVM.

ἀπο-

Z.

H.

φῶς

Erratum.

Pag. 25. l. 21. pro *stipatum* lege: *stipato*.